






Discursus
DE REBVS GALLICIS.

Quo


DE TOTIVS EVROPÆ
Statu præsente accuratè
differitur:

&


REGES AC PRINCIPES
Orbis ad viuum depin-
guntur.



Ex
Speculâ Halcyoniâ.
cIↄ Iↄ xxcIx.



DISCVRSVS DE RERVM GALLICArum statu præsente.





VETVS est, de littore æstuátes spectare undas, & de terra maria videre impetu ꝓcellarum tẽpestatumq; agitata, non minimã afferre delectationẽ. Quod facilè credo: quasi quis diceret, satius esse, procul veniẽtia prospicere pericula, quàm subire præsentia. Verùm enimuero si ex altera parte quasi de specula nauiculam aspicerem, in qua vel de commodis vel de amicis meis ageretur, in discrimine versari, & sine spe salutis aduerso fluctu & turbine ad scopulos deferri, nõ sine dolore inciderem in istiusmodi spectaculum. Si Gallia ne minimè quidem me tangeret, eius statum cum iam

intimè perſpiciam, vel nullo cum negotio de ea poſſem dicere, ſi quid inde noui mihi afferretur, perinde mihi iſtuc foret, quicquid foret: ſine moleſtia acciperem, præclarè mecum actum putans, quòd extra teli iactum ſim conſtitutus: neq; maiori cum animi commotione alios de hiſce motib. loquentes audirem, quàm ſi quis, quæ Romę ſub Tiberio, aut Nerone geſta ſunt, mihi percenſeret. At verò non poſſum Gallus cùm ſim, nō poſſum (inquam) maiorem in modum non commoueri, præſertim cùm iam videam, meæ unicam illam & rei & ſpei tanquam Argonauem illam, cui, quæ habeam cariſsima, crediderim, ipſa etiam cùm ſit vel meipſo mihi multò carior, hanc cùm videam paſsis velis ad naufragia properantem: cùm defixis oculis aſpiciam patriā meam, primam meam parentem, quæ tam vario morborum genere deſperatiſsimè laborat, ſumma cum difficultate extremum iam ſpiritum exhalantem. Ignoſcendum igitur mihi hoc eſt, ſi querelis partem doloris mei lenire ſtudeam, cùm voces illæ multò grauiores ſunt, quas triſtitia, quā quas lętitia ex pectore deprōpſerit; ſiquando in aduerſis voculas minus ſolitas mœroris noſtri teſtes ſuſpiramus, faciliùs audientiam

dientiam conciliant, quàm ſi de oſcitante ingenio, aſsiduis voluptatibus liquefacto, quod nihil niſi vulgare parturit, promanarent. Hæc huiuſmodi ſunt, quæ per ſe materiæ ſolummodo quam tractant, non ordinis nomine, lectu digna videri poſſunt. Nonnulli ſunt qui patriæ vita, & fortunis ſuis inſeruiunt: honeſtè quidem faciunt, ſiquidem id poſſunt. Patriã deplorare meæ ſunt partes, illi ſolis lachrymis mihi litandum eſt: ſiquidem nihil iam reſtat aliud in quo debita mea officia prę ſtare queam. Illos cùm ego laudare ſoleam, quid eſt quod illi me reprehendere velint? Faciam idem quod illi, cùm facultas dabitur, & illi ſi hîc eſſent, idem mecum ſentirent.

Dum in hac regione, Dicæe mi, quò me res aliæ meæ perduxerant, animo eſſem otioſo & ſoluto, primùm mihi renuntiatum eſt de Rege per Ducem Guiſium Pariſiis fugato: Hic, vt plerunque fama res maiores fiunt, primus rumor percrebuit. Quiſq; de hiſce quæ afferuntur noua pro ſuo animi affectu commẽtatur: & neſcio an ipſe communi hoc vitio laborans, hiſce hominum ſermonibus aliquid ſtatim addam de meo. Sed memini me tum quibuſdam præſentibus dixiſſe, tam crudele aliquid factum

fuiſſe,non poſſe adduci vt crederem: non dubitans,quò minus id fieret, non ſtetiſſe per huius formidinem, ſed potius in illo defuturam tam inſanam audaciam. Tum temporis aut non multò poſt,venerunt ad manus meas duo eaque diuerſa opuſcula. Alterum Regis declaratio fuit,earum rerũ, quæ Pariſiis duodecimo die menſis Maij contra ſe ipſum tentata ſunt: ſed ea quidẽ tam frigida & meticuloſa, vt nihil ſupra, tanquam ſi quis de iniuria queri vellet,nec eum tamen qui hoc fecerit, nominare audeat; ac ſi quis ſemper ſibi metuat ab inimici iracundia, donec deferbuerit, ne ad veterem forſan iniuriam accumulet nouam. Rex cùm ſit,de vi aut fuga pudet quicquã fateri, neq; iniuriam hanc appellare audet, tantum abeſt vt ſupplicium indicat. Non imperat vlterius,ſed ſubditos rogat.Denique quod omnium turpiſsimum eſt, rem ſibi diuinam faciendam cenſet, quò citius iſtæ turbę ſedari poſsint, nihil tam veritus, quàm ne dux Guiſius hoc forſan iniquius tulerit, quòd in palatio ſuo ſeſe ab illo opprimi non paſſus ſit, quin potius ſibi fuga conſuluerit. Alterum econtrâ opuſculum binas ducis Guiſij literas cõtinet, priorem ad Regem, ſecundam ad populum, vtraſq;
ſatis

ſatis militares, glorioſas, confidentes, in quibus res geſtas ſuas magnificè enarrat, dicitq; vnum illum diem à Deo immortali ſibi cœlitus non datum eſſe, niſi ad magnum aliquod & memorabile facinus perpetrandum: quod etiam perſequitur ſermone nõ multo, ſed præfracto animo nuſquam metum præ ſe ferens, ſed ſibi proſpera certiſſimè pollicitus: ad extremum autẽ minas exaggerat, ſibi certum hoc eſſe, vel inuitis Diis partes catholicas ꝓpugnare & regio latere quoſcunq; à partibus Hæreticorum ſtãtes excutere, ducem autẽ Eſpernonium innuebat. Tua, mi Dicæe, harum rerum curioſa indagatio, vt tibi potiſsimum iſta darem, me incitauit, vnaq; etiam iuſta indignatio mihi hanc extorſit commentatiunculam, de rerum Gallicarũ ſtatu tali, qualem hodie videmus eſſe, quæ tibi vſui eſſe poſsit, quò melius de hiſce duobus ſcriptis iudiciũ feras, quin euulges eam, ſi tibi ita viſum fuerit, dummodò de vtriuſque noſtri nomine conticeſcas. Nam & aliò nos iam vocamur: ſin minus, apud te in bibliotheca aſſerues.

Gallia in tres partes diſtrahitur. Dux Guiſius & agnati ipſius ex illa parte: Veluti duces Du Maine, d'Aumale, d'Elbeuf & de

Mercure, partim fratres, partim consangui nei, meo iudicio, primas tenent, & potentiores videntur. & sunt ij, qui cum suis con iuratis sanctum fœdus nominantur. Ipse Rex secũdas tenet, qui legibus quidem innititur, sed viribus destituitur. Rex Nauarrenus & aliqui etiam Principes Catholici regij sanguinis, D. de Montmorency, Summus coronæ magistratus, de Touraine, de Chastillon, & multi etiam viri illustres tam Euangelici quàm Catholici, tertias occupant: quæ vt iustior, ita & firmior, & stabilior meritò dici possit. Primam appello po tentiorem, siue quia quasi membra mihi videntur propagata de vniuersali illa coniuratione omnium totius orbis Christiani principum Catholicorum, qui sese mutuo fœdere constrinxerunt, vt Pontificis auspiciis omnes eos, qui puriorem religionem profitentur, ferro & flamma persequantur; siue quòd hæc factio noua sit, & nouissima quæque in Gallia primo quoq; impetu nimis dominentur: cuius rei argumento esse possit apparatus ille, quem prioribus motibus huius regni Euangelici fecerant: cuius præcipuas ciuitates omnes penè, vna solummodo vel duabus exceptis, possederant; & tamen anno vix elapso, illis ne vna

quidem

quidem ſuperſtes remanſerat. Siue deniq; quod inter Catholicos fundata illa ſit, qui Euangelicos numero longè ſuperant. Illi etſi nõ omnino & omni ex parte inter con iuratos recenſeantur,in hoc tamen omnes conſentiunt, quòd religionẽ ſuam ſartam tectam ſeruare cupiant, atque iſto prætextu illis maximè fauere videri volunt, qui huius in ſe defenſionem ſuſcipiunt. Atque hęc cauſa eſt,cur hodie illa factio potentior appareat,quamuis reuera neque ita ſit, neque ita diu durare poſsit. Quod regias partes magis legitimas dixerim,quis auſit hoc inficiari? qui quamdiu ad ſuum, non alienum,viueret arbitrium, & ille ſolus ſubditis imperauit,quod & idẽ iam fieret, ſi Rex vellet, ſed vt maturè hoc velit, neceſſariò expedit,quod ſi adhuc etiã procraſtinando omnibus notum fecerit, cuiq; licere illum in ſuo regno non contemnere modò, verùm impunè laceſſere, omnem ſpem priſtinæ dignitatis recuperandę abiiciat neceſſe eſt. In illius ſola magnanimitate,hoc quicquid eſt remedij Deus immortalis collocauit. Dixi etiam illius partes imbecilliores eſſe,verum eſt; quod ita non videtur, & tamen ita eſt: eius rei plures rationes afferri poſſunt. Ille primum qui regit, ita omnia

administrauit,vt facilè appareat ex tribus illis trium partiũ antesignanis regem eum esse qui minus valeat & plus metuat, qui minima quęq; aggredi extimescat, contra quem reliqui & facilè tentare, & fidenter exequi quiduis non dubitant, eò tandem potestas eius deuenit, vt nihil aliud iam sit, quo subditorum animi compesci & in officio retineri queant, quàm auita illa quã regibus suis exhibere soliti sint reuerẽtia & patrius mos quem mutare difficile est; magnam (me Hercule) vim hæc habent in pacata Republ. nec tamen ita magnam, quin vnius quadriennij bella intestina tã facilè iam euerterint quàm Romæ aliquãdo minori temporis spatio & aliis etiam locis vbi hæc mala grassata sunt, factum audiuimus. Quod ex nulla alia re enascitur, quàm cùm principes despicatui habentur, quo nihil maiestati Regiæ magis contrarium. ex istis quid triginta annorum bellum ciuile, quale hoc nostrũ fuerit, effecerit, coniecturam facite. Secundò Rex noster in imperio quasi sol occidens tam imbecillos in occasu emittit radios, vt iam coràm & in os & scriptis differentes, & armis dimicantes, de successore patiatur. Istuc si reges aliquando ferant, actum est, ilicet perierunt.

Romæ

Romæ Cæſarum temporibus capitale hoc fuit, ſi quis de futuris à morte Imperatoris contingentibus diſceptaret, tantum abeſt, vt vel verbulum de ſucceſsione mutire auderent. Huius rei teſtis citetur locuples Tiberius, qui poſt aduerſam valetudinem in extrema iam ſenectute ęgrotus decũbens, à Caligula hærede ſuo principe iuuene & florente ſuffocatus eſt, metuebat videlicet ne á deliquio reſpirãs Tiberius, eum capite mulctaret, quòd durante deliquio Caligulam imperatorẽ homines ſalutarent. Tanta illis religio fuit imperatoriam dignitatem ad extremũ vſq; ſpiritum conſeruare. Ottomanni, vt filij in patris conſpectum prodeant, nunquam patiuntur, quaſi ſperare filium nihil aliud ſit quàm deſperare patrem. Sed quid externa quęrimus cùm domeſticis exemplis abundamus? Fertur de Franciſco, cognomine Magno, huius regis auo paterno, quòd cum iam ægrotaret in Caſtello ſuo de Fontame bleau quò ſe ſemel receperat, initio menſis Maij, eo ipſo anno quo moreretur, adeo ille morbus ingraueſcebat, vt omnes illum tum aut pro mortuo ducerent, aut ſaltẽ non diu ſuperſtite futuro: ſtatim ad Henricum Delphinum omnes aulici confluunt, qui ob metũ

istius suspectæ & inuisæ successionis, per totum septennium ad patrem propiùs nō audebat accedere: ita vt vix vnus quidem alicuius loci regi relinqueretur, tam confertim omnes ad orientis solis adorationē contendebant. Interim ex illo morbo rex conualuit, quo liberato, fortè dies, qui vocatur Ascensionis, instabat, qui apud Gallos valde admodū solenni ritu celebratur, surgit de lecto Princeps senior, ornat se, prodit & vultū & comam ita componit, vt vel morbi vel senectę nihil appareat; splendidam & iuuenilem vestem induit: talis in processione conspectus est, & ipse etiam velum conopeum dictum, illud quo corp⁹ domini contegebatur, eo die gestabat, qui reuersus hasce voces adiungit: *Semel adhuc, priusquam moriar, faxo me metuant:* quod quidē ita euenit, & subito mutata fortuna est: vix enim rumor de regis sanitate sparsus est, cum extemplò omnes aulici viritim animis suspensis & sollicitis ad regem reuerterentur; & iam vicissim Delphinus ad Patris exemplar solus maneret. Istuc fuit regem esse, istuc fuit metui & coli. Quàm variæ adhuc per orbem gentes reperiuntur, apud quas capitale sit vel in præsumptum, vt Iurecōsulti loquuntur, successorem de-

functi principis curiosiùs inquirere, vbi regi antiquius nihil esse possit, quã incerta hæc omnia relinquere. At hei miseris! multo secus in nostro rege, cuius imbecillitas & nimis lentus languor quid nõ permisit? vt non tantũ de hereditario regni iure vel in os disputaret, verũ etiam à quibusq; ipse cogi se passus fuerit, vt hæredem designaret, & testamentũ conderet, quasi solũ restaret, iam iam moriendũ. Eius in regnãdo imbecillitas & desperatio, aliorumq; in illo offendendo impunitas fecerunt, vt hodierno die tam liberè Gallus, quàm Hispanus profiteri audeat, se regis sectatorẽ non esse; cùm contrà, ante triginta annos, pro læsæ maiestatis aut parricidij crimine hoc haberetur. Denique huius emasculatum imperium tam inglorium est; vt & ipse aliquando apud exterum principem, à corona Gallicana non ita disiunctum, versatus, dum sermones de nostro rerum statu vltro citroque consererentur, ita quendam dicentem audiuerim; eodem planè numero apud nos Regem esse, quo apud Arithmeticos cyphram, vt vocant, quæ cùm per se nihil valeat, aliis tamen figuris si addatur, summam facit cumulatiorem: quæ inquam hisce auribus audiui meis, cùm

gentis nostræ nomine & pudore, & angore, penè dirumperer: quamuis diuisi & diuulsi nostri imperij negotia, quibus extraordinaria cogimur accersere remedia, non tam sua quàm aliena etiam causa me eò vocassent, atq; ipsus hic sermo non abs re mea fuerit, ad ea quæ cupiebam, perficienda. Tertiò de suis sectatoribus nihil certi potest sibi polliceri. Illi animum penitus despondent, quia regem consternatum vident, hi quid stabilitatis ab illo expectent, cùm ipsum à fundamētis concuti animaduertant? Neque verò hostem serio aggredi, qui illius iugulum petit, satis tutum putant, cùm & ipsum hæc omnia perferre, & vix conqueri audere planè perspexerint. Atq; hoc pacto tum proceres omnes, tum ciues omnes, tum subditi denique omnes partes sequuntur. & credo equidem ex omnibus, qui cum illo coniunctissimè viuunt, neminem reperiri, vno aut altero fortassis excepto atriensi seruulo, cui se tuto possit credere, qui non apud se aliquod facinus singulare à regis mēte alienum, animo designauit, qui non cum aliquo inimicorum regis fœdus percussit. Nam si semel hoc innotuerit, regem subditū suum quencunq; extimescere, alium aliquem esse, cui viribus

viribus & potentia rex cedat, valeat statim omnis maiestas & potestas regia necesse est. ad eum alterum omnes vndiquaque confugient. Nos etsi liberi esse non possimus, saltem vni domino parere volumus. Si hic dominus alium forte habeat fortiorem, continuò priorem deserimus, & posteriorem amplexamur, ita homines natura sunt comparati. Quod ad Nauarrenas partes spectat, illas iustissimas esse initia horum bellorum fidem faciunt, ille se defendit; sui defensio & hominis & naturæ legi consentanea est. et ita se defendit tamen, vt prætermissa omni querendi occasione, regi molestiam aliquam exhibere, semper illi religio fuerit (etiam tum, cùm bello ardere omnia videret) quippe qui eũ factioso coniuratorũ bello satis impeditũ videret, quanquã qui dubitare potuit, quin istorum tumultuũ reliquiæ in ipsius tandẽ caput redundarent? neq; hoc solum, sed quotiescunq; occasio tulerit, ille se, vitam, fortunas suas toties obtulit, ad pristinam regis autoritatẽ ab hostibus vindicãdam, ea lege etiã & conditione, vt rata, & firma ea pacta habeat, quęcunq; illi à regia maiestate proponerentur: illum hæc obtulisse scio, immò etiã post nouissimos hos belli-

eos motus: quanquã infinita in iſtis bellis contigerant, quę illi manifeſto documẽto eſſe poſſunt, Deo ſoli & gladio, nulli mortalium ſibi fidendum eſſe: Firmiores aũt illius partes nõ ſine ratione dico. Primũ ſua ipſius perſona multũ iuuat, nec mediocrẽ hoc beneficiũ inimicis acceptũ referre poterit, à quibus tam peritũ imperatorẽ eſſe didicerit. & certè is eſt q cum præſtantiſsimis quibuſq; omniũ ætatũ imperatoribus meritò conferri debeat: at magno cum ſuo malo, dixerit quiſpiã, certè cũ illorũ multò maiore, qui eum in iſto tyrocinio inſtruxerint. ſequaces habet multò ſtabiliores eum ſolum reſpiciẽtes iure conſcientiæ cõſtrictos, q, adamãtino quodã vinculo eos colligauit, ſiue religione quadam cõmoti, ſiue q, iuſtiſsimã in ſe cauſam ſuſcepiſſe ſibi pſuadeant. Sui multò expertes magis, magisq; exercitati, vt deinceps ne in vita quidem vlli caſus aut euentus metuendi ſint, quos illi iamdudum non ſubierũt, nec inimicis quicquam iam reſtet, q, machinẽtur noui. Et ſi ſuperiores duæ partes, haud ſec9 atq; iſta, illarum, ita illæ huius vires impetusq; pari modo perſenſiſſent, illas, multò magis quã hanc, labefactatas cerneremus. Præterea naturali & hæreditario ſucceſsio nis

nis iure nititur, quod illi à nullo alio, quouis prætextu præripi poſsit: & fingamus totā Galliam mutuo conſenſu, ius hoc, cùm illi obtigerit, ademptură, quem tandem illius loco debeant ſurficere, alterum reperient neminem. Non parum hoc eſt adiumēti, in petitione nullum ſibi certū proponi æmulum. certa hęc indicia & ſpei & ſolatij plena haud paucos illi ſectatores conciliant nouos, veteres etiam multò faciliùs retinent. Interim multorū animi, qui antiquā Reipub. formam immutare nolint, cùm id ſine ſumma omniū rerū perturbatione fieri nequeat, bene ſecum actum putant, quod ab illo ſolo pendeant, cui cùm ipſæ leges portam aperiant, non eſt cur murū ariete percutiat. Atq; hactenus quomodo hodierno die Galliarum regnum informatū ſeu deformatum potiùs ſit, videtis. hæc præcipua membra ſunt, quæ certis quibuſdam regulis efformantur: hiſce etiam alia adiungi poſſunt, quæ ſuis ſeorſim ordinibus non conſtant, ſed ſub vno iſtorum comprehenduntur, quatenus rerum ſuarum, & priuati commodi ratio poſtulat, qui ex altera parte quaſi ſubalternatim ſibimetipſis ſolis cōſulunt, ſuumq; aliis pro rerum primordio, non pro exitu conſenſum præ-

bent.Ii ſunt Regina Regis mater,Hiſpaniæ Rex, Duces Lotharingiæ & Sabaudiæ. Quod ad hoſce attinet,ad faces & furias ſeditionum noſtrarum magis inflammãdas, ad regem Nauarrenum, & Principes ex regio ſanguine deturbandos, ſæuis inter ſe conueniturſis:ſed in partitione non item. quiſq; ſibi vel integram prædam expetit, vel partem ſaltem minus inæqualem: Leonina hæc ſocietas eſt. Conjicite cætera. His accedũt Principes Catholici ex Borboniorum familia,qui à rege non diſcedunt, ſed eius ſequuntur partes,propterea quòd Religio quæ ſola Regem Nauarrenum ſeparat,eos tamen minimè ſeiungit. Qui tamẽ eò nunquam perduci poſſunt,ut ſuis ſuffragiis Lotharingi aut Guiſij Borboniis anteferantur:quin in illa contentione Regi Nauarreno ſeniori & proximiori potiora ſemper deferent,tanquam eadem ſtirpe & familia oriundo. Hi magna potentia & numeroſa in Galliis gaudent clientela. Nam poſt Nauarræ regem ad unum vel alterum eorum ſceptrum & ſolium proximitatis & prærogatiuæ iure deuolueretur. Hoc illud eſt,quod adhuc ducis Guiſij conſilia & decreta plurimũ interturbare ſoleat. In his tã confuſis & tamen quodãmodo diuiſis par-

tium

tiũ diſtinctionibus, quibus, vt antea dixi, certam quandam rationem præſcriptamq; normã dediſſe videtis, qui horum confœderatorum ſua ſibi conſilia à cęteris diuerſa, animorumq; inductiones ſibi ſigillatim proponunt: Dux Guiſius cum ſuis aſſeclis quicunq; huic fœderi inſeruntur, nec aliũ, quàm illum ſuperiorem agnoſcunt, ad hãc ſolam metam collimant, ipſum imperium vel omnino vel maxima ex parte occupare. Prudentia hæc innata eſt, quã defunctus Lotharingię Cardinalis, huius patru9, hæreditario iure ſuis poſteris cõfirmauit. Hic Princeps noſtri imperij ſola calamitas & patrem & patruum habuit, vtrumq; plane virum. Pullulantibus igitur iam inteſtinis noſtris diſsidijs regnãte Carolo in Catholicos & Euangelicos, cùm viderẽt pię memorię Principem Condęum, qui tum erat, ad horum partes inclinare, illi quò primã materiam hiſce incendiis ſubminiſtrarẽt, aduerſas planè in ſe ſuſceperunt. Dux Guiſius primas obtinebat, qui per auxilia & conſilia fratris ſui Cardinalis ipſum imperium haud dubia ſpe, ſed occulta tamẽ cogitatione, aut ſibi aut ſuis iamdudum deſtinauerat; ad quod Rege & fratribus eius adhuc pupillis exiſtentibus, ſibi per bella

ciuilia patefactã videbat planam, apertam & directã viam. Obiit ille, & hic quasi infantulus tutelæ fratris Cardinalis cõmittitur. apud quem vnà cum lacte nutricis primos ſatus domeſticæ ambitionis exſuxiſſe videtur: quos tamẽ tam dextrè tenellus hic puſio exhauſerat, vt breui præclara indicia ederentur, filij viriditatẽ patris caniciem longè ſeperaturam. Et vt ingenuè fatear, tam multa hic habet à natura cum animi tum corporis ſubſidia, vt ad maxima quæq; natus videatur. Ego quidẽ ſemper huius diem natalem, verè fatalem fuiſſe exiſtimaui, quo tanquam diuino præſagio nobis portẽditur, à Deo nonnullas regno Galliæ impendere mutationes. Ipſe ſolus fœdus conſtituit, reliqui eius familię omnes hunc vnum adęquare nequeunt, & vniuerſi coniuncti vel minimã partem earum rerũ quas ille aggreditur, exequi aut perficere neſciũt: admodum verſutus, valde ſagax, egregiè perſpicax prę cæteris ſingulis ſuæ factionis eſt. Id cùm omnes alij ex factis colligant, tum ipſe ex ſcriptis aliquãdo vidi, idq; eius propria manu, ex qui bus quàm turpiter ſine illo ex ſuis præcipui viri hallucinati ſint, in re grauiſsima fa cilè apparuit. Ecce quis illi animus; quæ
meta

meta,quod propositum sit,qui rerum progressus, & quomodo omnia administret deinceps considerate. Hoc illi acerbũ fuit quòd in Oceanum hunc negotiorum primùm soluens, multos inuenerit hæredes Galliæ sui penè ęquales,qui regni capaces apti satis essent per vices succedere,matrimonia cõtrahere & liberos procreare.Hęc illi animum adimere posśint, non tamen propterea cùm semel sese recollegerat, frãgi aut debilitari se pati voluit,sed ad tẽpus fronte suam sentẽtiam occultans in eo acquiescit tãtisper, dum catholicis partibus altiùs fundatum firmiter sese posśit constabilire:in eo verò familiæ suæ & domesticę disciplinæ obsequitur, tum fortuna adiuuat, aliàs etiã ad virtutẽ prosperi successus accedũt,ita vt beneficio nominis & memoriæ paternæ ꝑ bella ciuilia,q̃ patruus illius aliqua semper ratione incendere solebat, primarius iam functionis Catholicæ constitueretur,diligẽtius ciuitatibus hisce obsecundãs,quę post lanienã illam factę sunt multò turbulẽtiores, vtpote quę principẽ Euangelicũ perpetuò formidarent: ipsorũ verò ciuium familiaritatibus intimis ita se immersit, vt blanditiis suis & illecebris omniq; ratione populari in eorum tum au-

res tum animos influeret. Prima hæc & cer tiſsima indicia ſunt, eius qui tyrannidem affectat: Rex Carolus ſine liberis mortuus eſt: coniugem & Henricus habet, ſed ſine prole: quod maius eſt, regno deeſſe rectâ lineâ hæredes animaduertit, collaterales ꝓximè vocari, quò propiùs ille ſibi videtur accedere, vnde ſe legitimam ſuam petere multis teſtimoniis iãdudum ſignificauit: occulti etiam rumuſculi ſparguntur, eum de Carolo magno originem duxiſſe: Valeſios autem à Capetone, qui falſo titulo ad coronam obrepſerat, & ſuam familiam iniuſtè expulerat: Vnde & manifeſta indicia data ſunt, ſe vix tandiu expectare poſſe regis præſentis mortem & fratris illius, qui duo ſoli ex regia ſobole reſtabant, vt tum demum ſucceſsionis cauſa ageretur, quin potiùs iãdudum hæc anticipari oportuit. Nihil tam illi videbatur obſiſtere quã pax. Nam cùm ſoli Catholici factioſi & ciuitates ſeditioſæ huic vni pro ſaxo eſſent, cui adhæreſceret, omnẽ apud eos & fidẽ & famam amiſiſſet, niſi nouos motus cõtra Euangelicos reſuſcitaſſet. Etenim hoc certiſsimũ eſt, ꝙ veluti bellum ciuile in vno ſtatu varias partes fouet, ſic diuturna pax eas vniuerſas, regis ſola excepta, penitus

euertit

euertit; adeo vt illi nullum præsentius remediũ esset, quã omnia miscere: & ad mutuas cædes reuocare, postea ꝑ sua commoditate quiduis aggredi. Anno 1578 fœderis quandã societatẽ iniuit, huic posteriori non dissimilem, Regi nihilominus sua authoritate integra relicta, fratre Alenconio adhuc superstite, qui plurimorũ animos & voluntates sibi in Galliis obstrictos retinebat, vt tãtò plus huic detrahi necesse esset. Illa nõ citiùs nata quàm strangulata societas est, & sub cõditione vnius exigui belli contra Hugonotos suscipiẽdi fędus dissoluitur, quod tamen nõ ita multò pòst sedatũ est. Galliis bienniũ aut trienniũ iam respirãdi tempus datũ est. Interea loci incredibile dictu est, spiritus iste turbulentus, ambitiosus, facinorosus & ꝓpterea omniũ tolerãtissimus, quàm varias & diuersas deglubere se passus sit iniurias, ea gratia ne cõsilia illius suspecta fortè essent, qui quamdiu pax & summa regis potestas durarent, tam peritè omnia dissimulauit, vt etiam apud multos despicatui duceretur, quibus minimè perspecta tum causa fuerat, tam obstinatæ & præfractæ (vt ita dicam) patientiæ: quo quî potuit apertiùs diu præmeditata & abstrusissima consilia præmonstrare.

Tandem fratrem Regis Alenconium, qui tum hui⁹ luminibus plurimũ offecit, mors opprimit. Hic aliàs erga illũ malè affectus, qui cùm sibi quędam de statu Flandriæ designâsset, ille qui tum cum rege Hispaniæ clandestina captaret cõsilia, valde iniucundam hac in re illi præstitit operã, adeò vt si adhuc vixisset Alẽconius, à multis hoc audiui dici, Guisio malam illum gratiam relaturum. Vtut sit, tamen inuitissimè pertrahebatur, ad aliquid in Gallia moliendum Alenconio superstite: hui⁹ mors siue casu, siue consultò accersita illius in rem opportunè accidit. Consultò dico quia Salœdis confessio & totus ille processus iudiciari⁹ multorũ animos hac ex parte suspẽsos tenuit. Humato semel Alenconio, vno rege in medio relicto, statim illi pulchra videt̃ oblata occasio, vel ad ipsum fastigium perueniendi designationis suæ, à Patre & Patruo post triginta iam annos inchoatę à seipso summo cum studio & sollicitudine elaboratæ. Nonnulli ita existimabant: Guisium in vitam regis aliquid machinari: Alij inani tantùm illum lactari spe; & Astrologorum prædictionibus niti, quæ illi vndiquaque iam occinebantur, breui certissimam regis mortem prænuntiantes:

Vnde

Vnde facilè iudicauit, post principis mortem regni statum in tranquillo esse non oportere: non ignarus in Galliis regem omnino non mori, quin alter continuò surrogetur, qui suo aduẽtu omnes molitiones, quæ tum primùm cõtra illum aggredi quis vellet, facilè interrumperet. Quin potiùs ante regis mortem contra proximum hæredem armanda manus est, idq; nomine & authoritate præcedentis Regis obuallari oportet. Hoc modo patris monitis, & domesticis subsidiis obsequutus Anno 1585 nouis furiis imperium exagitat; primùm autem regem lacessit, quem, cùm persuadere non potuit ad regem Nauarrenum oppugnandum, vi cogere statuit. Primus prætextus hic fuit, ob regis orbitatem periculum esse, ne regnum Galliæ ad hæreticos deuoluatur, id quod & ipsum & reliquos Galliarum Catholicos tumultuario statim motu commiscuit, præcipuè cùm viderent Euangelicorum antesignanos, regem Nauarrenum innuentes, tantâ gratiâ valere, & secretiora cum illis consilia communicare, qui Regi ex intimis essent: hoc dicto ducem Espernonium significabat, qui iam nuperrimè ex Aquitania redierat, ubi Nauarræ regem inuiserat. Deniq; cùm metu illo

quem ſuo regi incuſſerat, nõnihil ſibi com paraſſet ſubſidij, exulceratis iam omnium eorum animis, qui regi vel à conſiliis, vel à colloquiis eſſent : continuo bellum Nauarreno & Euangelicis denunciat: Atque ipſum hoc eius bellum eſt, quod hodie etiã adhuc durat, cuius in extremo hoc ſolum conſilij captat, perficere nimirum tandem illud, quod iam diu deſignauit: Pariſienſe factum certam fidem facit. Nihil amplius iam illi videtur reſtare. Nam quòd arma publicè contra regem Nauarræ, idq; conſilio conſenſu & authoritate regis, geſta ſunt, hoc parum eſt. Præliorum autem exitus, & dubius Martis euentus eſt. Hic princeps magnificus & magnanimus eſt, & fortunis & clientelis præpotens; ab hoc in præſentiarum ſperari quid poteſt, niſi magnũ quid? Quod ad perſonam illius attinet, in tuto eſt, niſi quis ꝓditorio dolo aut veneno (quod Deus auertat) è medio ſuſtulerit. Quod ad ciuitates quas poſsidet, duodecim regna Gallica ad eas occupandas ſatis nõ ſunt. ſed puta eas omnes amiſſas eſſe: in regẽ Galliæ cooptato, ſi Deus id tãdẽ velit, ꝑter enſem ſuũ, nihil amplius eſſe reliquũ: & hoc tñ ſatis eſt: Quàm multi reges ex carcere & monaſterio extracti ſunt, vt inaugu-

raretur. Noſtra hæc ætas Carolum ſeptimũ proſcriptum & ad montes d'Auuergue relegatum poſtea coronari vidit. Ludouicus XII. etiam in maxima Biturigum turri captiuus detinebatur, cùm rex renũciaretur. Si probabilia ſequimur, vix ſuſpicabitur quis, Nauarræ regem eò aduerſi unquam prolapſurum: ſed neq; adhuc tamen in eo ſunt omnia: incredibile dictu eſt, quantam vim habeat in ſucceſsione, manifeſto jure niti. Hæc ſunt quæ duci Guiſio cerebrum excutiunt, cui non vacuus ſolùm locus in ſolio reddendus eſt, ſed vis etiam ad regnũ poſsidendum præmuniẽda, id facilè videt. Quorum illud in regis Nauarreni interitu & ſubuerſione poſitum eſt, hoc in facultatum ſuarum, gratiæ, authoritatisq; amplificatione: quæ tam diu parum aut nihil incrementi accipiet, dum ſibi ſatis eſſe putet, ſub regis authoritate legionibus imperare, ipſumq; adeò contra Euangelicos ſuas copias educere. Infinita præterea in ejuſmodi molitionibus accidere poſſent, quæ deſideriis ſuis duram ſecurim iniiciant: & quod antè dictum eſt, parum lucelli ab illis ſperandum eſt, qui ſe bene defendere norunt. Tum illud etiã ſpem imminuit, quòd cum regem in iſtuc belli cõiecerit, ſubſidia

tamen ad hæc perficiēda, nisi summis cum difficultatibus, comparari non possunt. Interim ipse, qui inter legiones præfecturam gerit, quid tanto dignum feret hic promissor hiatu, cum jam nihil ausit; qui gloriosè in initio sui conflati fœderis loquutus, si nihil tanta expectatione dignum ediderit, ꝓfectò & se, & suos funditus pessundabit. Rebus sic stantibus, in hoc solo acquiescit, dum fratrem suum in Aquitaniam contra Regem Nauarrenum mittit: ipse interea ipsum Regem invadit, apud quē obliquis quibusdam viis minusq; directis proficere se solus posse sperat, & minus perdere. Fratre suo duce Mœno ex Aquitania reuerso, ubi ex rebus gestis hoc solū fuit, quòd gloriæ regis Nauarreni illiusq; præfecti summi, Domini de Touraine, quocum illi pręcipue res erat, magnum cumulum adiecerit: vterq; iam palam cum reliquis suis ascititiis sanguinis & fœderis sociis ipsi regi imponunt, qui à generali nihilominus suo prætextu ne latum quidem vnguem discedunt: De bello hæreticis inferendo, in quo omnis armorum suorum sanctitas sita est, & cuius beneficio Catholicos suis obstrictos partibus semper retinent. Verùm primo quoq; impetu regem prouocare, nimis

hoc

hoc fuit inuerecũdum, ſaltem aliquod velum obtendẽdum erat. Nemo illorũ de regio ſanguine eſt. Nemo eorũ ita Palinurus ad imperij gubernacula ſedet, vt vel regis reformatio vel regni adminiſtratio illi tãtę curæ eſſe debeat: ſine hoc vno autem inane & irritum quodcunque eſt, quod pręcipuè contra eum prætexant. At verò rex Catholicus non eſt? Papalis ſanctitas ſanctior nõ eſt. At Hugenotos non odit? immò cane peius & angue inſectatur. nefas putat illorum quenquam vel compellare, hoc palam profeſſus, funeſto illo die, quo ſol ipſe nihil vnquam vidit immanius, ſe plures trucidaſſe Hugenotos, quàm dux Guiſius vnquam viderat, magisq́; eos etiam vexavit, quàm ipſe Guiſius poſtularet, ut nõ immeritò grauiùs & acerbiùs de rege, quàm de coniuratis omnibus conquerantur: quorũ præcipui & primarij noſtrorũ aliquot ſem per magnam clementiam humanitatemq́; experti ſunt. qua vna laude priuari non debent. Quî ergo ſcrupulus hic eximi poterît? Dux Mænius nimirum poſt reditum ſuum ex Aquitania ſtatim ſcripta edi curat quædam contra Mareſcallum Matiguoniũ regis in Aquitania præfectum, quem rex in illa præfectura collegam adiunxerat, hanc

ob causam is læsę maiestatis & clandestini cũ hęreticis regeq; Nauarreno colloquij eũ insimulat,idq; vnũ sibi in profectione sua, quò minùs præclaram aliquam operam nauare posset,plurimum obstitisse: huic obiectæ accusationi ipsum regem etiam infert; de quo queritur,eum sibi pecunias,cõmeatus, & subsidia reliqua belli anteuertisse,omnem deniq; ansam quiduis pręstãdi præripuisse, adeò vt eo neminem hæreticis amicum magis beneuolum reperiri posse apertè pronunciare non dubitauerit. Vociferatur ex altera parte Guisius, Ducẽ Espernonium eum esse, qui regẽ detineat, qui in hoc bello oscitantẽ & supinum reddat, qui Regi Nauarreno inimico faueat veterato quodam in sese odio. qui cùm dominum metuit, facilè tamen baculum inuenit, quo canem cædat: hic hic Sexagenarium de ponte dejicit: is ipsus est, inquit,hæreticorum in Galliis præsidium & firmamentum.Deniq; omnium,quotquot sint,aduersus illum maleuolentiam concitat.Audacter profitetur & denunciat, se illum omnibus regalibus ciuitatibus,pręfecturis in Gallia exuturum. & quanquam Regiæ cohortes omni hęreseos suspicione vacent; tamẽ quia hisce Espernonius præest

eſt; eas data opera in Picardia ſępius adortas profligauit.Sub hac ſpecie & inuolucro in ſua præfectura omnes ciuitates, omnia quęcunq; poſsit præſidia occupat.Rex harum rerum ſpectator ſuas etiam urbes in debita obedientia retinere vult. vt hoc effectum det,ſuas conſtitutas iam copias in ſubſidium educit, peditatum videlicet & cohortes illas, quibus D.Eſpernoniũ præeſſe antea diximus. Ecce iam grauiſsimam adverſus regem inſtitutam querelam,quin eò tandem res deuenit loci, vt Bolonia per Ducem Aumalium obſeſſa ſit, Lutetia per Guiſium capta,Rex in fugam verſus,cæſæ, captæ,& profligatæ regis cohortes, quod & ipſe Guiſius glorioſè de ſe prædicare ſolet.Et ſuo quidem ipſius iudicio,ſi quis vrbes, præfecturas teneat aliquas Guiſiano imperio non obnoxias, ſi quis aditum illi intercludere conetur,hoſce hæreticos eſſe neceſſe eſt. Quæ hæc tam noua & inſolens religio? Ex illo tempore fertur Ducem Eſpernonium ſuis ſe præfecturis abdicâſſe, & Regi in manus tradidiſſe : ex reliquis autem Normaniam Duci Monpenſiero iamdudum decerni. neque ſatis ſcio , an illum etiam in hæreſeos crimen vocet, quod mirum tamen foret & inauditum.

Sed vt rem totam concludam: Ducis Guisij hic animus est, hæc mens, hoc cõsilium, in regem euadere, si fieri possit; hac via procedit, hisce modis contendit, bellum intestinum & Catholicorum contra Euangelicos factum: hisce subsidiis priorum partiũ dominatum sibi arrogauit: apud Catholicos iam vel ipso rege vel alio quocunq; ex regio sanguine principe gratiâ plus valet & authoritate: de quo tamẽ ne dolere quidem illi, nedum queri debent. Designationum suarũ quæ fiducia sit cernite, ex duobus hisce vnum saltem vt assequatur. Nam vel rege adhuc superstite partes suas muniet, resq; suas eo loci perducet, vt illo defuncto, Regis Nauarreni vires atterat, & ab omni successione excludat: sin min⁹, istuc si fortè efficere nequeat, saltem ad pactum & conuenta eũ vel inuitũ pertrahat, vtpote qui perpetuus Catholicorum parens, patronus & sospitalis Iupiter futurus sit: idq; non sine exemplo. Quod si Nauarrenum semel subiugauerit, totamq; familiam funditùs extirpauerit, tum hæc se mutuo consequũtur, vel ipse regno solus potietur, vel cum sociis suis viritim partietur, maiore tamen & meliore parte sibimetipsi reseruatâ. Ad hasce Thiestæas epulas inuitat conui-

uas,

uas,Hiſpaniæ regem,Pont.Rom.reliquos Italiæ Dominos,omnes Principes Catholicos ſibi vicinos,quibus huius regni ſplendor & maieſtas non minùs ſit inuidioſa: Ipſius regis proſperæ res & Nauarreni fœlix ſpes non minus formidoloſa, quàm utriuſq; interitus & exitium illis forent & utilia & iucunda. Sed in toto hoc facinoroſo conſilio illud pre reliquis mihi infandum videtur, quòd diuturna regis vita illi mortis inſtar ſit, quam nullo modo ferre poſsit. De eo ipſe ſibi proſpiciat diligẽtiùs: ego ſic exiſtimo, ſi vel tãtillum moræ Pariſiis traxiſſet, iamdudum hoc effectum fuiſſet. Quicquid ſit, hoc unum credo, nihil aliud eſſe, quod hac tempeſtate vel huic dolorem, vel illi formidinẽ magis adaugeat. Quod ſi quis præterita cum præſentibus conferat, ſibique aliquando in memoriam reuocet, Regem Galliæ hunc eum ipſum eſſe, qui annos 17 aut 18 natus toties triumphârit, qui nunquam ſine victoria dimicârit, cuius excelſæ virtutis incredibilis fama ineunte iam ætate externa ſceptra ſibi acquiſierit, adeò vt totius orbis bellicoſiſsima natio illi parere vellet. Hic, inquam, obſtupeſcat neceſſe eſt, ſi quando audire contigerit, huius, huius inquam, regis animi

infirmitatem abiectamque diffidentiam, alieno instinctu, illius pectori alioqui generoso tam altè insidere: hi soli carceres sunt, hæ cruces, hæc tormenta, quibus Deus immortalis hodierno die Galliæ regnum tam miserè exercet. De quo tamẽ Principe hoc verè mihi dicere videor, si illum natura ad meliora tempora reseruâsset, si subditos tali Principe dignos reperisset, qui illius potentiam & amarent & iuuarent sedulò, si in adolescentia labores illi in ferro, voluptates in auro non propinâssent, quòd harum nimium desiderium, illorum fastidiũ prorsus post se relinqueret: si postea etiam & animum & regnum tam contrariis studiis non defatigâssent: summæ proculdubio virtutes illi ingeneratæ ad præclarissima quæq; facinora perficienda eum excitâssent. Verùm Matris in illo euehendo nimius ardor, quò citiùs, quæ de altero filio sibi in animo destinâsset, ad optatum finẽ perduceret, illam ætatẽ in graues & serias molestias coniecit, quæ ad ludum iocumq; potiùs se demittere debuisset, satietas honoris illum iam cepit, antequam sitiret, & ambitionis nauseam contraxit, priusquam verè appetere didicisset: Nec ita multò pòst (liceat modò hoc quicquid vitij in illo notare

notare) defecit paulatim, & à negotio ad otium animique remisſionem cepit eſſe procliuior. Vſitata hæc morum labecula eſt, quæ non Principum modò, ſed priuatorum etiam hominum animos facilè incesſit. Quod reliquum eſt, adepto iam regno, licentiæ & impunitatis plenisſimum offendit, quod diuturna bella ciuilia pepererant malum, partium etiam & contumaciarum plenisſimum facilè animaduertit; omnes regni proceres priuata ſua ſingulos ſtudia habere, quæ ſequerētur, quum Principi potiùs & imperio publico coniunctis conſiliis inſeruire ſemper bonorum ſit habitum. Quin ipſe rex iſtuc vulnus curare qui deberet, ſuâ patientiâ exulcerat magis: cuius hæc ſemper virtus fuit, vt ſi nihil eſſet, quod votis ſuis obſiſtere posſit; ſi nihil præpoſterè aut aduersè accideret; ſi pacata & tranquilla omnia, nemo inuētus eſt qui imperiosè magis illo merum illud imperium exercere poſſet. Quod ſi vel minima quæq; interuenerit difficultas, malos medicos imitatus lenia remedia quanuis noxia adhibere maluit, quàm paulò acerbiora valde tamen ſalutaria, quem etiam quidam ex præcipuis à conſiliis viris ingenio quàm ſimilimo, à cuius cōnſiliorum fonte

totus fluit,& à quo præ reliquis faciliùs regitur,ad istos eum mores erudiuit. Hic ille primus Galliæ rex est, qui cum locorum præfectis suis pacto transegerit, qui eorum discessum precio redemit: de illis tantùm non loquor, quos motus & belli suspicio ciuilis factionibus adiunxerat, sed de iis etiam,qui à regis partibus semper steterãt. Hic primus ille rex est, quem quis intrepidè & confidenter irritauerit. Quod ad me attinet, etsi alij clementiam hanc & misericordiam in rege nominent,idq; huic pręsertim summę laudi ducant,quòd nonnullorum iniurias nunquam sibi ad animum reuocauerit, ne eorum quidem, quos sibi obnoxios teneret. Ego istum quidẽ si modum excedat, incuriam rectiùs dixerim, maiestati regiæ valde nocituram. Quæ si reprehendi forsan meritò nequeat, quo modo tamen in rege laudari debeat, non satis intelligo. Hoc vnum certè dissimulandum non est,sed præ nobis ferendum,cùm primùm calamitosa hæc bellorum incendia resuscitarentur, eam illi à Deo immortali sanam bonamque mentem immissam fuisse, vt ad regnum reformandum populumq; suum cõsolandum,rectâ & planè regiâ viâ incederet: Et si nihil aliud conscelerata

rata coniuratorum factio Galliæ afferret mali: hoc unum tamen sat est, quòd regis prima illa tam salutaria consilia contaminauerint factiosi illi, quo vno parricidio vel tragicis furiis in æternum dira sua capita deuouerunt. Atq; vt in præsentem rerum statum, quæq; iam animo versat Rex consilia, penitiùs discutiamus: Quid aliud quæso facit, quàm quod iure potest? Eò enim solummodo omnia illius spectant, vt quam à Deo accepit vitam authoritatemq; tueatur. Sed ad tam probam materiam (vt inquit Comicus) improbissimos adhibet fatuos, artemque sequitur subditis funestam, duram regno, sibimetipsi exitiosam, quod ipsi euentus satis demonstrant. Hic Princeps præpotens, quid Guisius tentet, quid moliatur, tam facilè videt, vt nemo melius: neque id iniuriâ, cùm ipsius illa meta sit, ad quam præcipuè collimet: sed malè sibi consulens ad illi resistendum hactenus nimis lubricam ingressus est viam. Qui tamen (vt ingenuè dicam) aliqua ex parte veniam meretur, cùm ne vnum quidem sibi à consiliis habeat, cuius animus vel cupiditate vel timore non præoccupetur, vt in seipso vno sola sua sita sint præsidia. Nec vero citiùs arma Dux Guisius san-

ctissimè (si diis placet) factionis nomine susceperat, factionis nó tam nobilis quàm notæ & iamdudum in Gallia de leuiore nota cognitæ, quin statim regi consectaria quædam & falsissima effata tanquam vera decantarentur, in duas nimirum nec plures Regnum Galliȩ diuisum esse partes Hugenotorum & Catholicorum. Istarúm autem alterutri nisi ipse præesset, in ista diuisione præteriri eum omnino, & quod in prouerbio est, de duabus sedere sellis videretur. Imbecilliores autem Hugenotorum partes esse: unde Catholicorum amplexari oportere ratio suadet, quo facto omnem illam gratiam & authoritatem, quam Guisiani conquisierant, in se deriuaret, istuc in eorum perniciem, in suam autem perpetuã cederet salutem: hoc vt efficiat, vehementiores & præter modum adeoq; præter hominis naturam concitationes simulandæ sunt, & in hæreticos immaniter sæuiendum: ferro & flammâ adoriundi; omnibus, quicunq; aut fuerunt, aut futuri sunt maleuolentiæ palma præripienda est. Hoc solo modo ad sese pertractis partibus Catholicis, & in suam potestatem redactis, Guisianos, quos & metuit & odit, facilè euertet, & vno quasi ictu eademque opera

Huge-

Hugenotorum eorumque ductorum, quibus haud ita bene cupit, vires comminuet. Hem consultores probos, quibus vestigiis cùm ad regni miserrimum interitum tum sui ipsius perniciem spectantibus, etiam in hodiernum vsq; diem insistit. Deus immortalis illum ad saniorem & meliorem mentem reducat, vt fructum istorum consiliorum planiùs videat, pro principe & antesignano, quod ille falsò sperabat, se seruum plusquam mediastinum & Guisianæ libidinis mancipium factum iam esse. adeò vt quàm primum Guisius aduersus regem tumultuari inceperat, statim hic sibi opinionis errore persuaserat, ad illius potentiam infirmandam Hugenotis oportere scrupulum iniici, atq; hinc bella illa diplomata & commissiones, hinc pulchra edicta, hinc strenuæ ille legiones emerserunt: Dura hæc nimis & aspera aduersus eos, qui officiosè eum & colunt & venerantur, qui ne cogitatione quidem vnquam violarunt: mansueta contrà & beneuola in eos, qui vel in sinu serpentem agunt. Immò etiam vix illi Panicus aliquis terror à coniuratis incussus est, vix aliquid turbarum datum est, vix aliqua ciuitas obsidione capta est, quin statim Regi Nauarreno aliquid ab il-

lo expectandum ſit mali, quin ſtatim eodem pene momento copiæ, legiones contra eum educendæ ſint. Principem miſerè obcæcatum, qui non intelligat tam conſceleratam ſocietatem, quæ illi vitã hanc, & ſuauiſsimam auram inuidet, prætextu tantùm & fucata ſpecie niti, & ſi qua in re deeſſe illi videantur, id leuiculis coniecturis explorare potiùs vult, quod vi & armis extorquere nõ auſit. O execrandos vos impoſtores, à quibus tam nefaria profluxerunt conſilia. Nihil ne vos pudet, perfidi, periuri proditores? Num regis eſt in regno ſuo factiones fouere? an non vna pars, ſua nempe, ſatis ſit, vt etiã alias deſideret? Non ne magna hæc pars eſt regem eſſe? ſed dixerit forſan quiſpiã, iam diu inualuiſſe has duas partes, & deſperatum iam eſſe remedium. Hei vos infœlices? quis, niſi vos, hęc primum inuexit, quis produxit, quis adhuc fouet? Bellum ciuile nõne harum partium mater eſt & procreatrix? illud auferas, hæ continuo euaneſcent. Quod ſi Rex ſpartam, quam nactus eſt, ornare velit, ſi potentiam ſuam agnoſcens pro authoritate regia dixerit, PACEM VOLO, in Catilinaria hac fece quis vel Spartacus gladiator tam cõfidens reperietur, qui vel verbulum contra

contrâ mutire audeat? sin necessariò bella gerenda sunt: quin contra intestinum hostem gerantur potiùs, & eum victum, prostratum eiectumq; citò videbimus. Rex nihilominus his imbutus præceptis, facilè adducetur, vt credat ad curationem hanc nihil aliud sibi relinqui loci, nisi vt & ipse coniuratorum faciem induat, nisi ipse specie quadam audaciùs multò vel ipsis coniuratis in Euangelicos sæuiat: Catholicos iamdudum cum duce Guisio in idem fœdus coaluisse, dissoluendi vinculi vnicam hanc viam esse, si sese in illius locum sufficiat, & statim Hugonotos suo fulmine feriat. Et autoritatem & deliberationem videtis, quæ tamen tam altas adhuc radices non egerant, quin metus ea omnia longè superaret, metum dico ex iusta diffidentia ortum in eos, qui illi à latere semper erant, proq; intimis habebat, adeò vt postquam iam cõiuratorum armatam manum vidisset, ne Lutetiæ portæ satis tutæ, quibus fideret, videbantur. Et cùm sola sua præsentia vel centum pedites istorum motuum, quorum fama illius animum perculerat, authores ad inferos facilè deturbare potuisset, ipse totus attonitus & cõsternatus constitit, Matrem continuò ad eos præmit-

tit, exoratum, vt quiescant, Regem habeãt excusatum, si pacis tempore debita cura & officio eos non sit prosequutus, deprecari iam sese hanc culpam vnam, in posterũ se illis facturum satis, postulent modò, quicquid velint, se facilè assensurum. Denique ante subditorum pedes supplex Rex quasi prostratus iacet, vt auertat à se quantum poſsit tam turbidos eorum motus. Quin potiùs contrà factis & exemplis commonefaciendi fuissent, se & voluntatem & potestatem habere, ad effrenem eorum rebellionem perdomãdam. Verùm ille à bello semper abhorruit, prudenter scilicet prospexit, hoc modo potentiam suam & authoritatẽ imminui. Et si hac ex parte coniuratos reformidaret, non est cur Euangelicos oppugnare magnopere expeteret. In quo tamen tandem à Matre victus est, quæ sibi etiam animo nõnulla designarat à Regiis consiliis alieniſsima. Ad extremum cum duce Guisio summatim transigit: ad Regem Nauarrenum debellandum, violentum non voluntariũ assensum præbet. Cui tamen haud ita pridem ante vnũ mensem per triginta literas propria manu scriptas iudicium suum de coniuratorũ consiliis & voluntatibus testatiſsimum fecit.

Quo

Quo animo ſit, quid ſentiat rex noſter, vel hodierno etiam die videmus: quin ardentiſsimè ſemper hoc concupierit, & Regi Nauarreno ſat virium & potentiæ eſſe, ad aduerſam partem compeſcendam, ſibiq; adeò ad pacem ſtabiliendam, nemo omniũ dubitare poterit: verùm ſuo mero motu iſta proponere nunquam ſibi tutum putauit, & ſi fortè propoſuiſſet, ne à ſeditioſo coniuratorum grege ſtatim opprimeretur, valde extimeſcebat. Hoc Regi in votis eſt, viuere, regnare, à ſuis obſeruari tam à Confœderatis quàm Euangelicis. hoc æquum hoc iuſtũ eſt: & quidni ita fiat, ipſe modò id velit: ſed faceſſendũ illis pernicioſis ſeditioſorũ conſectariis eſt: ſecus ſi ipſe ſuam potentiã in dubium vocet; ſi ſe regem præ ſe ferre non auſit; mirũ hoc aut nouum illi videri non debet, ſi alij contra illum quid tentent aut machinentur. Deus immortalis hoc illi tandem largiatur, vt qui ſit, is eſſe velit: ſuæ gentis Princeps & Dominus, id quomodo efficeret, niſi Rex ſit. In regẽ verò nunquam euadet, niſi firmum hoc & ratum intimis medullis inhæreat, publico ſui Regni bono, & populi tranquillitate nihil ſibi debere eſſe antiquius.

Ad regem Nauarrenum quod attinet, illius res, fortunę voluntatesq; longè aliter, diuerso seu contrario potiùs modo sese habent, atq; duæ illæ partes, de quibus hactenus diximus. Nam vt illud concedam de vita, authoritateq; regia conseruanda, hoc illi cum rege consilium optimè cõuenire: contra quam nihil vnquam vel potuit vel tentare voluit: Tamen in eo discrepantia vel maxima cernitur quòd Rex Nauarrenus Gallicarum Ecclesiarum libertatẽ spectat, eius vindicandæ causa, Rex suorum arma ciuilia persensit: quia illam is iniustè opprimere voluit. Verũ illius tamen à Ducis Guisij & Coniuratorum inceptis & institutis δὶς διαπάσων quod dicitur, dissident. Primùm quòd hic, cui ambitionis furor ad regnum Galliæ eãdem spem, quam illi natura subministrârat, nisi per intestina dissidia, legum euersionem totiusque regni & imperij mutationẽ, hæc sua instituta promouere nõ potuit. Nam si nullum mouisset lapidem, si intacta omnia & integra reliquisset, ne tantillum iuris prætexere potuit, nec appellari quidem vnquã debuit. Ille contrà omnem suam spem & expectationẽ in pacis beneficio, in ordinis & modi constantia collocauit, nihil nouum, nihil

hil insolens cócupiscit, nisi vt leges in suo robore ac firmamento maneant, nihil ille petit, quod iura non iubent. Quod si aliam forsan semitam indagare vellet, armisq; & ambitiosa occupatione regnum affectaret, facilè proculdubio competitorem inueniret, qui tantò plus illi potentia & reliquis ambitiosorũ adiumentis, quantò ille huic iure & legitima succesſione præponderaret. Interim præter hæreditariũ regni ius, quod quàm proximè illum attingit vniuersæ etiam totius orbis Christiani Ecclesiæ illius humeris tanquam Atlante cœlum, niti videntur. earum spes & fortunæ quasi in hoc vno sitæ sunt. ita huius aduersus casus, illarum occasus, huius authoritas, illarum unica libertas fore videtur. Illud illud est, ꝙ inimicorum adauget potẽtiam, illud est, quod omnes vniuersæ Europę Pontificios cómuni quodam vinculo contra eum cóglutinâuit. Et sane in hunc, veluti in alium alterum animum & cogitationes sæpius conuertens, videor mihi videre Deum immortalem ꝑ hos duos Principes nostrum hoc Galliæ regnum afflicturum, quanuis in vno ad seruandum quàm in altero ad perdendum & animi & corporis plus sit neruorum; verùm in altero mul-

tò plura ſunt ſubſidia, cùm quia maiore numero aſtipulatorum partes illius ſuſtentantur, tum quia regia potentia illi nonnihil ſubſeruit: quod magis me mouet, vt ad horum duorum mutuam inter ſe collationem pauliſper deflectat oratio noſtra. Et quidem hæc talia ſunt, vt inter Plutarchi vitas meritò referri debeant. Ego quantum poſſum, enitar ſedulò, vt in iudiciariam hanc arenam ſine omni affectu deſcendam, quamuis & Religionis ergò, & mearum partium, & infinitas ob cauſas vni multò magis, quàm alteri fauere debeam: tamen neſcio an amor hic meus in tam ardua controuerſia me libero iudicio priuare poſsit. mihi autem ſic videtur. Etſi dux Guiſius valde magnus quidem vir ſit, Nauarrenum tamen multas præclaras virtutes in ſe habere, quibus illum alterum longè ſuperet. De conſiliis eorũ nihil loquor, ne in dubium quidem illa reuocanda duxi: neque à Duce Guiſio deſignata iam iudicare potiùs velim, quàm penitus condemnare: nam & ego natione Gallus ſum: De illis ſolùm loquor illorum veris virtutibus, ſiue earum ſimulachris, quas illis ꝓprias Deus ingenerauit: alteri vt hiſce tantis dignum ſe præſtet; alteri vt contra eas ipſe

ipſe depugnet. De Rege Nauarreno hoc affirmo, in omni vita, etiam ab ineunte ætate, contra ipſam neceſsitatem dimicâſſe, eâ omnia ſua negotia pleniſsimè redoleuiſſe, nihil vnquam ſine ſummis perfeciſſe difficultatibus. Illi contrà omnia ad voluntatem affluebant, & primis quibuſque inceptis optata occaſio ſemper affulſit. Illi opera potiùs quàm opus, forma quàm materia, voluntas quàm facultas ſemper defuit. Nihil erat quod huic prodeſſe, nihil quod illi obeſſe poterat. Quum ergo hi duo ſummi viri hodie ęquali potentia tam variis modis ſe mutua comparatione attingant, prima hæc coitio ſic definiatur, huic plus ſcientiæ, plus vſus & exercitationis, animi & fortitudinis plus ineſſe debere. Illum verò ambitione & fiducia præcellere, quæ duo ex proſpera & florenti fortuna nimiaq; potentia nata ſunt, vt propterea maiora illum aggredi, tentare etiam difficiliora neceſſe ſit. Hic minore cum oſtentatione & leuitate, minore etiam cum ſonitu orbem illum rerum ſuarum verſare ſolet: ille alter minore cum experientia, certitudine & ſoliditate omnia perſequitur. Iſta me adducunt vt credam, hunc in ſecundis rebus multò me-

liùs ſibi temperare quàm illum alterũ aduerſam fortunã ęquo animo ſufferre poſſe, ſi quando in eam inciderit. Nihil hic de ſuperioribus bellis loquor, in quibus tamen Dux Guiſius omnia ad libidinem fluentia habebat: Hic contrà duriſsimam & extremam quamq; fortunam expertus erat: De iſtis potiùs recentioris memorię rebus geſtis dicendum cenſeo: de quibus hoc aſſero: Si ingentibus illum auſis veluti alium Theſeum aut Herculem aliquando cognorim, totũ biennium octo exercitibus Gallicis defatigatum, iis etiam nouo & recenti milite mutuoque ſubſidio ſubinde refectis, ſuis vexillis & ordinibus optimè diſpoſitis, Ducibus & Imperatoribus totius Galliæ exercitatiſsimis, inter quos Ducẽ Mænium huius fratrem numerãdum cenſeo: In ipſo autem præliorum exitu non ſolùm nihil damni accepiſſe, ſed octo bene munitas & commodas ciuitates obſidione viciſſe; poſt acerrimas pugnas victoriã reportâſſe: idq; ſua propria virtute, non alienis adiutum præſidiis hæc omnia præſtitiſſe, quæ regem Nauarrenum aliquãdo feciſſe ipſe vidi: Tum demum aptam hanc fore comparationem putabo, antea nequaquam. Verùm dixerit fortaſsis quiſpiam,

Ducem

Ducem Guiſium multò plura aggreſſum eſſe facinora longeq́; maiora: omnem regis Nauarreni fortitudinem & virtutem eò ſpectare tantùm,vt huic obſiſtat:Id inficias non eo. At verò illi ſecundo flumine omniumq́; auſpiciis id facere, quidni facile eſſet? Huic refragante Neptuno & aduerſis ventis idem efficere, difficillimum: Quò maior labor ſit,eò ampliorem mercedem gloriam comitari neceſſe eſt. In eorũ ingeniis multò adhuc plura cùm ſimilia, tùm diſsimilia exiſtunt. Sed in neutro humile,abiectum,effęminatũ reperitur quicquam: In vtroque ardens animus eſt,id res eorum poſtulant: Vterq; mitis, comis, familiaris. Vtrique corpus ad labores & moleſtias tolerandas optimè conuenit. In animis tamen nonnihil diſcriminis deprehenditur: quorum alter heroica inprimis integritate eſt, magnificus, apertus, liberior paulò, nonnunquam commotior: ſed ita tamen,vt in ipſa acie medioq́; diſcrimine, & præſenti animo,& prudenti iudiciõ omnia adminiſtret: tam attentus ad rem, quæ in manibus eſt, tamq́; promptè, dum ardet, ferrum tundit, vt eò minùs vel preterita reſpiciat vel proſpiciat conſequẽtia: nunquã ſibi in animo inuri patietur con-

ſilia è longinquo didućta, ſola ſpe contentus in ea acquieſcit. Alter ingenio vago & vario, totus corruptus, occultus, taciturnus, vafer, præter modum tolerans, cuiuſque rei ſimulator & diſsimulator, nihil niſi longè ex vltimis cogitationum oris accerſitum meditatus: nam ſuas ſibi ipſe fingat oportet fiducias, tam lõginquè proſpiciẽs: nihil tentans, quod certò perficere ſibi non promiſerit. Illud autem difficilè dictu eſt, quomodo in extremũ adductus diſcrimen, ex eis anguſtiis tam promptè ſe expedire poſsit, quas antea tam ſępè non ſit expertus. Verũm quoquo te vertas, magni ſine dubio vtrique viri, vel potiùs omnium, quos vnquã Gallia tulerit, longè maximi: qui præclariſsima quæq; edidiſſent facinora, ſi præpotẽs aliquis Rex virtutes eorum exerere voluiſſet, & ſi fatalis hæc noſtra ætas id permiſiſſet. Sed vt vnde deflexímus, ad inſtitutum reuertamur. De rege Nauarreno hoc antè à me dictum eſt: In regni viſceribus nihil is turbulenti conſilij, nihil deſignati, vel habet, vel habere debet, ſuâ fiduciâ ſatis ſe ſuſtentat, & aliàs etiam nimis eſt impeditꝰ, quo minùs inimicorum ſuorum nefarios conatus interrumpere poſsit. Illius arma hoc tantùm ſpectant,

hoc

hoc solùm volunt, imperij pacem & tranquillitatem; non illam, quâ Ecclesiæ Gallicanæ exteræque etiam pristinâ suâ religionis & conscientiæ libertate priuentur: huic tam iniquæ & iniustæ paci nunquam assentietur. Non est cur iam de prærogatiuæ suæ iure dimicet, nondum tempus est: res ipsâ cùm per se satis manifesta sit, quorsum disceptando dubiam fecerit? multò minùs frustrà nitendo sese afflictare; dum Guisianis & Lotharingis malum & perniciem machinetur. Illis ne malè vult quidem, nisi quatenus illi reipublicæ malè cupiant: cuius commodis si modò inseruirent, eos aptos & idoneos satis agnosceret, sed tamen vt priuatos: Tum eorum conditio, ordo, locus, huius valde dispar: quippè qui regio nomine sit insignitus. Hoc vnum augustum & venerandum regis nomen, omnem & ipsorum, quos longè infrà positos videt, & conatuum eorum cogitationem sibi ex animo expectorat. Quid ille petat, quid mente agitet, quid consilij captet, videtis, id si modò aliquid sit, in sua ipsius iusta defensione totum id situm est, immò id eiusmodi est, vt inimicos suos vel inuitos cogat ad Galliæ pacem, Regi authoritatem,

ſibi ſuisq́; priſtinam libertatem reſtituendam : Hoc ſemel perfectum quum fuerit, quin poſtea locupletent ſe Guiſiani quantum velint, p eum licet, & ad ſumma quęq; contendant, modò ſine horum trium ſuprà memoratorum damno & detrimento fiat, ſua nihil intereſſe exiſtimat. Ipſa progreſsio vitæq́; curſus, rerum etiam conſiliorumq́; ratio quàm ſequitur, vix ſatis in ſe habent firmitatis, vtpote quæ ab aduerſariorum actionibus & inſtitutis totæ pendeant. In pace viuere ſinent, hic libenter quieſcet : ad arma deuenient, hic confeſtim accurret: deponent arma, idem & hic fecerit. Vnde fit, vt, ſi reliquæ partes Galliæ & ſeditiones ortæ componantur, Rex hoc cognitum ſatis & perſpectum habeat, ſe ſine difficultate, quò velit, hũc poſſe pertrahere : Nam qui ratione & neceſsitate tantum prouocatur, hic etiam nullo negotio reuocari mutata velificatione poterit. Atque hæc hactenus de tribus illis ductoribus qui in triplici iſta Gallicana diuiſione primas tenent. Nunc qui illi ſint, qui obliquas partes tenent, & quaſi ſecundarias, ad quem ſcopum collimẽt, quaque ſpe feriendi propoſitam metam ducantur, videamus. Ex iſtis Regina Mater Regis primas

primas tenet, quæ dignitatis suæ tuendæ causa à Filij partibus stare præ se fert: quod & semper antea fecit, quum adhuc plures præter regem filios superstites haberet: Sed tamen quum nihil sit, quod filio magis inuideat mater, quàm merum imperium, hoc est, quod illam valde malè habeat. Quamdiu pacatam Galliam haberemus, tantisper domi sedenti huic ad lanam & telam sat otij fuit; nihil illi à filio publicæ curæ est demandatum, nulla negotiorum administratio commissa est. Ad hanc iacturam resarciendam, vel arte sibi corrigendi iam tali erant, vel cum iis saltem paciscendum, qui talos iacerent; omnis alioquin labor irritus & inanis foret. Illud enim ingenium illius à rebus exiguis paruiq; momenti semper abhorruit, & statum regni pacatum nullomodo ferre potuit. De hac regia fœmina, cuius propago præcipuas Europæ partes Imperio suo subiectas tenuit, & adhuc etiam tenet, idem planè, quod de Agrippina, dici poterit: *Virilibus curis muliebria vitia exuisse*: modò hoc ipsum in fœmina vitium dicendum non sit. Hæc ita semper in Galliis assueuit, alios aliis inuicem opponere, vt lite pendente ipsa interim dominari possit. Sum-

mos cum summis, cum principibus principes, proprios liberos cum reliquis liberis commisit: Minimè enim hoc eam latebat, ita Gallicanas res comparatas esse, vt nisi noua & extraordinaria viâ rem aggrederetur, nullo in loco apud nos fœmina haberetur. Carolo piæ memoriæ regnante hæc huius Henrici quasi curatrix fuit, cuius potentiam quàm potuit maximè amplificauit, eum ob causam, vt ipsa iam Carolo metui esse posset. Id Carolus tandem sed tardè nimis planè perspexit. Hoc iam rege principatum adepto, in quo mater filium, quũ in Polonia rex esset, immortali sibi obstrinxit beneficio, non ignara quin nisi prudenter hoc malũ anteuertisset, tantos in Galliis ciuiles motus futuros, vt reuersuro regi nullus ad regnum pateret reditus. Hoc inquã regnũ adepto, matris authoritas totos tres aut quatuor annos illibata permansit, tantisper dũ adolescentior rex tam infirmæ ætatis illecebris, & noui regni deliciis totus detineretur. Postquam verò imperantis vocem, quã affirmatiuam dicunt, nactus esset, solusque iam regnare vellet, illa iam necessitate coacta ad iuniorem filium, piæ memoriæ, principem Alençonium extemplò cõfugit, qui ad aliquod tempus

tempus quaſi, humeris ſuis eam ſuſtinuit, reddiditq; vſurariã. Alenconio mortuo, alia poſtea conquiſiuit remedia: Nam vt vt ſit, illa duo præcipua ſibi propoſuit obſeruanda: vnum eſt, eum quicunq; ad regnum euectus ſit, ſibi in prẽſando antea obnoxiũ reddere, vt eò faciliùs eum iam inauguratum regẽ retineat. Alterum eſt, tam mirificè iunioris augere potentiã, vt ipſe imperij dominus, ad huius ſubſidiariam operam petendam impellatur, ad alterius libidinẽ refrẹnandam. Ita horum duorum inuicem inter ſe commiſſorum potentia æquabiliter temperata ſic vſa eſt, vt ipſa interim in medio tanquam honoraria arbitra relicta ſola regnaret. Quod conſilium priuatim ſi reſpicias, non tam ingenij artisq; plenum, quàm frequẽtis ſeditionis & diſcordiæ refertiſsimũ reperietur. Quod ſi poſt defunctum Alenconium illa regem Nauarrenũ ſuæ diſciplinæ aptum alumnũ inueniſſet, ſub illius etiam clypeo latitans, ex inſidiis ſemper depugnaſſet: Sed cum religio multaque alia impedirent, continuò & oculum & animum ad Lotharingorum familiam cõuertit. Hi nepotes ex filia ſunt, cui etiã nonnihil profuit inueteratũ odiũ, quo ab ineũte ætate in regẽ Nauarrenũ exarſit.

Hæ capitales inimicitiæ cum metum etiã illi incuterent, ſtatim hoc ſibi in animo certiſsimè propoſuerat, Regis Nauarreni iuſtæ petitioni quibuſcunq; poſsit modis illudere: Neque tamen hoc vnquam poterit efficere, niſi vnà etiam antiquas regni Galliarum leges, & conſuetudines, ſusq; deq; ſubuerterit. Huic inueterato odio accedit etiam, vt antea dixi, amor ille, quo Ducis Lotharingi filios proſequitur, nepotes ex filia, ad quos naturali quodam amoris fertur inſtinctu: Quorum nomine nuſquam ceſſat hoc probri loco ipſi Regi obiicere, multò potiùs illũ debere nepotibus ſuis, ſororis filiis, quàm aliis ex ſua familia nimis tamen alienis hanc hereditatem deſignare. Alienum autem Nauarrenum regem nominabat. Hiſpani etiam regis filiæ, huic ex filia neptes ſunt: Cui etiam hæc ſponte ſua ſine omni moleſtia in hac hæreditate partem aſsignabit, rebus præſertim ſic ſtantibus, & imperio filij perturbato: eoque libentiùs, vt ille ad hanc confugiat operamque efflagitet: Atque hoc quidem pacto bellè reginæ matri cum duce Guiſio conuenit, ad vexanda & perturbanda omnia, ad confuſioni feneſtram aperiendam, denique ad omnem anſam

mutan-

mutandi ordinis & consuetudinis in successione regni Galliarum præbendam. At verò illud concupiscere, vt Guisij potentia in eum modum crescat, vt regem ipsum de solio deturbare valeat, ipse postea regnum occupare, neq; probabile hoc quidē est, neq; arbitror, eam hoc vnquam desiderâsse. Sub hisce Reginæ matris partibus cōplecti mihi posse videor, Margrauium Pontium illius nepotem, Ducis Lotharingici filium: cui ne minima quidem spes in ista successione affulserit, nisi quam illi auia sua suppeditârit. Alter ab hisce est Rex Hispaniæ, qui in istorū motuum initio, quum animaduerteret, inter Reginam Angliæ & Regem Gallię firmissimum fœdus renouari, etiam tum ex Belgio delegatos Parisiis agere, Regi summam suarum Prouinciarū potestatem offerre, nihil sibi prius putauit aut antiquius, quàm tria, vel quatuor centena millia coronatorum in famelicas coniuratorum manus immittere, hac gratia, vt aliquas in Galliis turbas darent: sibi persuadens hoc vno modo regem interpellari posse, quò minus Belgicis rebus animum adiiceret. Hic metus omnium maximus illius animo altiùs insederat: neq; id iniuriâ, quum vel certo certius sit, solum regem

Galliæ (modò omnia domi pacata habeat) illas Hiſpano prouincias è manibus poſſe extorquere. Hæc ſunt, quæ illius animum miſerè pungunt, vnaq; & Ducis Guiſij conſilia nõnihil præcipitant. Hiſce adde, quòd in extremo etiam hodie metu verſatur, ne rex Nauarræ, quem natura illi hoſtem conſtituit, ad regnum Galliæ aliquando deueniat. Huic regnum Hiſpanus iniuſtè detinet, cui ſi vngues iam præſciſę tandem forſan renaſcantur, dubitandum non eſt, quin ius ſuum repetat, periculum etiam eſt, ne hoc vno cõtentus futurus non ſit. Hoc probè videt, ſe iam ſene, liberis adhuc quaſi impuberibus, regno ſuo diſtracto nec ſatis ſtabilito, vel minima quæq; poſſe poſt mortẽ ſuam, perturbationem inducere: Quantò magis Nauarræ Regem, ſi in Galliarum Regem aliquando euadat. Neq; verò hoc illi pręter ſpem eſt, ita ſe in Lotharingicum fœdus inſinuare, illis facultates & ſubſidia ad motus concitandos ſubminiſtrare, Galliarum regem interturbare, peſſundare Nauarrenum: Vt ſcilicet, poſtquam regnum hoc diuulſum prædæ & rapinæ vndiquaq; exponetur, ipſe pro nimia ſua, qua præ reliquis valebit, potentiâ, pręſtãtiſsimã illius partem maximeq; opimam rapiendi rabiẽ

expleat

expleat ſuam. Quis illi iam de noſtris rebus animus, quæ conſilia ſint, videmus. At verò, vt eò vſq; prouehatur amentiæ, vt is, qui infinitis aliis ſumptibus defatigatus eſt, ſuum etiam ærarium exhaurire velit ad ducem Guiſiũ Regem creandum, ne veriſimile hoc quidem eſt. Ille, inquam, qui, ſi modò regni facies & prærogatiuę iura immutanda eſſent, eo animo ſemper fuit, vt filiabus ſuis regiis neptib9, & priores & potiores partes iure optimo deferri debeant. Quod autem de rege Hiſpano iam dictum eſt, idem Duci Sabaudiæ accommodari poterit, qui potentia multò minùs valet, nullaq; niſi quæ à ſocero accipiat, habet ſubſidia. Atque ita ſe habent illi omnes, quicunque aut ſubleuare, aut ſubuertere Gallias exoptant. Hi illi vel ſalutares vel mortiferi humores ſunt, qui venas noſtras & artus depopulantur, venti & proſperi & aduerſi, quibus aſsiduè exagitamur. Atque ab iſtorum diſſentientibus affectibus pro perſonarum qualitate variè diſcrepantibus ſeu potiùs contrariis, tota pendet noſtra ſiue ſalus ſiue exitium. Heu præpotens imperium, Europæ ſplendor, quem mille ducentorum annorum ſeries & decurſum ſpacium longè lateque propa-

gauit, & vicini hoſtes noua ſemper gloria amplificârunt! Poſt tot tantasq; victorias neceſſarium penè hoc fuit, vt tibimetipſi violentas manus afferres, vt tuo ipſius pondere & magnitudine laborans nutares, ſiquidem per orbem terrarũ nullum alium externũ victorẽ ipſa fata tibi deſtinâſſent.

Sed vt ab iſtis paulùm deflectam, quę lachrymas mihi citiùs quàm verba eliciant: Quoniam ita ſe res habet, vt omnis noſtra contentio relligionis prætextu obducta, ad mutationem, id eſt, vt ego interpretor, ad ruinam & interitum regni noſtri ſolum ſpectare videatur, niſi Deus hoc omen auertat: cumq; hoc commune malum per vniuerſam iam Europam graſſetur: diuertam aliquantulum de via, aliquid ſaltem de totius Chriſtiani orbis ſtatu & conditione attexendi causâ, quatenus has duas ſummas attingunt partes: Quarum vna Pontifici Romano ſubiecta eſt, altera ab eadem paulò diſiunctior. Quæ quidem Theologorum more diſquirere nolo. Hoc vnum ſcio Deum immortalem vt aurum igne, ita vario afflictionum genere populum ſuum explorare, ſiquidem hoc præcipuum ſit, vt tum eos in officio ſuo contineat, tum vt nos inprimis noſtræ fragilitatis commonefa-

nefactos ad sacrosanctam illam salutis ancoram confugientes manu ducat: id quod facilè obliuiscimur, quotiescunq; ex rebus secundis tumida ceruice inflati insolescimus. Neq; illud me fugit, vnigenitum Dei filium disertissimis hæc verbis pronunciasse: *Regnum meum non est hinc.* Ex quibus facilè apparet, ex hac terrestri vita nō esse petendam salutem nostram: Quin etiamsi calamitate aliqua sese affligi nonnunquam quis persenserit, non propterea continuò aut animum despōdere, aut in bona causa malè cedere oportet, quasi Deus immortalis sempiterno odio auersari, & de vniuersa terra nos penitus exterminare decreuisset. Econtrà videre est, Turcas aliasque gentes incultas & barbaras, quarum mētes ne minima verę religionis imbuerit opiniō, tum miseros illos Pontificiæ superstitionis erroribus occæcatos, in omni vita facilè id assequi, quod cōcupiuerunt, dum in reges triumphant, dum terræ ipsorū aurifodinas habeant, quarum vis nunquam aut deficit aut marcesit: dum bella sine repulsa gerunt: tam fœlici sidere nati videntur, vt ministros inueniant quorum mercenaria opera principes in mediis custodiis perfidè trucidentur. Deniq; eis religio non est,

Deum importunè lacessere, vt ad optatos exitus libidinum suarum prouehantur: cùm tamen ex altera parte, contrarium illis, qui verè Deum colunt & venerãtur, impositum sit, humeris suis crucem gestare: si modò Redemptoris nostri Christi vestigiis insistere velimus, per angustam portam ingrediundum est. Ad illius exemplar tota hæc vita nostra doloribus, cruciatibus & angustiis transigenda est. Hasce normas & notas sequuti, quæ iis solis, qui veram & reformatam profitẽtur religionem, accommodandæ sunt, quidni concludamus eos solos, in quos Deus animaduertat, legitimos & genuinos illius filios esse: Quos monendo corrigere tantùm vult, non condemnando perdere: corpore castigare, nõ capite plectere: quos vt filios suos minus morigeros, non vt seruos furaces aut fugitiuos accipere solet. Et quamuis hac tempestate totius orbis Christiani reges & principes potentissimi cõmune quoddam fœdus & societatem contra omnes Dei & electos & dilectos conflârunt, iureiurando etiam solenni inuicem sese obstrinxerunt: Tamen & hoc nihil est: Nam quem quæso ex suis Deus vnquã perire sinit? Quos verè habet, etsi in mediis aquis nõnunquam ad

mentum

mentum vsq; immergantur, submergi tamen nunquam patietur, quin iam iam perituros extenso brachio eruens profundo de gurgite liberabit. Nec verò promissi sui dati veritas certissima, de qua dubitare nefas est, huius rei solùm fidem facit, verumetiam ex rerum serie, quæ à iactis mundi fundamentis in ecclesia vsuuenerunt, manifestè id potero demõstrare. Sed quod antea dixi in Theologorum limites irruere mei iam non est instituti. Satis mihi sit, si ostendero, nõ solùm nos in prõptu habere Dei potẽtiam sacram illam ancoram supra omnem naturam positam, ad quam adhęrescamus: Clypeum plusquã septemplicẽ, ad quem omnis mundani impetus acies hebescit, telaq; retusa reuerberãtur: verùm & in hoc mũdo vitaq; humana à Deo multò pluraq; maioraq;, quàm aduersarij nostri accepimus adiumenta: Adeò vt si iniurias perferimus, si affligimur, hæc nostra sola culpa est, qui illis subsidiis, quę à Deo accepimus, nobismetipsis succurrere nesciam⁹.

Vniuersus iste Christiani orbis complexus, q Papali dominationi paret, vnanimi cõsensu suffragatus est ad Euãgelicos radicitùs extirpãdos. Sed qui quæso aut quales tandẽ perditissimi isti cõiurati sunt? De vi-

ribus eorum videamus, num tantæ ſint, vt eas merito metuere debeamus. Coniurati ſunt Papa, Cęſar, Hiſpaniæ Rex: Tum Principes quidam Italiæ: In Galliis Dux Guiſius & reliqui eiuſdem familiæ, qui regem & regnum ad ſuum nutum & arbitriũ conſtrictum tenent: In Heluetiis nõnulli confœderati Cantones: In Germania aliqui Principes. Hîc omnes recenſui, vt audiuiſtis, & qua maximè potui ſpecie glorioſâ: Pontifices ſcilicet, Imperatores, Reges, & multos Principes. Fama eſt iſtos Orbis terriculamenta in vnum coaluiſſe, hoc ſolo inito conſilio, vt eos, qui vbique terrarum puriorem religionem profitẽtur, funditùs eradicẽt. Quàm vellem hoc ita eſſe? Quantò difficilior victoria, tantò maior gloria. Verùm iſta ſi penitiùs introſpiciamus, prima facie videbimus in hac tanta multitudine ſingulos penè ſeparatim ſibi aliquid habere deſignati, cuius curam & rationem habeant: Ideò autem generali huic cõſilio ſe coniugârunt, vt commune illud vniuerſorum fœdus, tãtò firmius & ſtabilius permaneat. Sed quæ tandem conſilia iſta ſint, diligentiùs ſingula diſpiciamus.

Illud de Pontifice Romano patet: Lutherum, Zuinglium, Caluinum bina illum triente

triente Apostolicæ hæreditatis mulctâsse: de reliquo etiam litem dubiam esse, & arduam quæstionem, ne vilem redigatur ad assem: de eo valde laborat: ardenter illud expetit, amissa recuperare, modò id fieri possit, & de eorum præstanda euictione sibi satis caueri, quæ iam possidet. Regnum Angliæ vniuersum pinguissimum bolum sibi è plenis faucibus iampridem ereptum videt: In quo si nouos iam surculos Catholicæ religionis Rex Hispaniæ inserere possit, valde foret istuc in rem aucupis. Gallias nunquam sibi subiectas habuit, Gallicanis ecclesiis singularibus priuilegiis indultum est: sed neq; hoc tanti ille facit. Illud illud est q, eum maximè anxium sollicitumq; tenet, quòd Nauarrenus Galliarũ Rex aliquãdo futurus est. Id metuit, ne fortè Alpes transeat, Fatalis Romę Borboniorum Prosapia, quam & nuperrimè irritârũt Romani Põtifices de regno Nauarræ, quod contra ius fasq; Regi Castiliæ adiudicârũt. Tum verendum est, ne hic Rex tam potens maximam religionis reformationẽ introducat, quod sine Papalis authoritatis diminutione fieri nequit: Et quidni hic tam facilè id efficiat, quàm olim Philippus cognomento Pulcher, ceteriq; complures Gallia-

rum reges, Pōtificiæ ambitionis infensissimi hostes, q idem præstiterūt? In hoc igitur iam agitur illius salus, vt huic Principi spē omnem præscindat: In eo aūt pro virili sua parte operam strenuā navat; intonat, fulgurat & fulminat, proscribit, hęreticū denunciat, perduellem, regni Galliæ incapacem: quasi ipsum solum penes hoc esset pro libidine & conferre, & auferre imperia. Atq; vt huic leuiculę suæ Bullulę aliquod robur & firmamentū addat, q̄ sua hercle vi ad Rupellenses aggeres perfringēdos & perrumpēdos parū valeret, si nihil aliud accedat adiumēti: Hinc orbē Christianū totum & armat & animat, neq; cessat, vsq; dū ad Cardinalē Borboniū deueniat, cui etiam gladiū benedictū dono mittit: Ex eadem scil. officina, qua ille Diui Pauli, & hic ensis planissimè prodiit. Tum magnā vim pecuniarū Guisianis pollicetur: polliceri eū dico, quia prę-stare nō solet: Pluris videlicet Pontificatus ipsi cōstat, q̄ vt tam citò ex ære alieno emergat, nisi forsan Sylla aliqs sit illi ab inferis excitādus. Id facit ne fortè à Romāo, vt ita dicā, stylo siue veteri siue nouo, vel tantillū discedat. Deniq; quod illi soli datum est, in crucis bacillo q̄ mirāda edit prodigia. Sanctissimi quæso patris præstigias videte & com-

commẽtum probum: qui terras & inferos tædis ardentibus contra hęreticos instigare vult, quorum in numero Reginã Angliæ & Nauarræ regem vtrumq; sibi hostem capitalem complectitur. Hosce duos cõmuni illo fœdere, generali quasi quodã & nationali consilio perdere nõ dubitat. Nec verò minùs & forsan magis etiam, de superiore & inferiore Germania habet, quod cõqueratur, idem quod de Galliis & Anglia iam antea fecit. Illud ergo est quod sibi pollicetur: Postqũa Rex Hispaniæ & Guisiani eos castigauerint. i. Galliam & Angliam occupârint, Hæreticos. i. legitimos Principes ac dominos profligârint; postq̃ totum Belgiũ subiugârint: tum nullo negotio suis vnà cũ Cæsareis coniunctis copiis, vel p amicitiã, vel p vim Germaniæ Principes Protestãtes impellẽt, vt vel inviti cervices suas pristino illius potestatis iugo subiiciant. Hisce feliciter transactis, verisimile quidem non est, Heluetios velle præfractè nimis tantis copiis sese opponere, præsertim cum Cantones iampridẽ distracti sint, qui omnes iunctis viribus Duci Sabaudiæ ad Geneuam recuperandam facile poterunt opitulari: Ad illam, inquam, vrbem recuperandam & solo adæquandam, ex quo vno capite &

& fonte omnes p̄ vniuerſum orbem Chriſtianum hęreticos arceſsi & deriuari vulgo dici ſolet. Hi illi cancelli ſunt,quib. & huius cupiditates, & ſanctæ ſcilicet illius factionis cōſilia,& voluntates ſunt circumſcriptę.Hæc ego hiſce oculis vidi meis,per ipſum Pontificem Sixtum perſcripta in literis quibuſdam,ex Italia in Hiſpaniā miſſis,& initio iſtorum in Galliis nouiſsimorum motuum interceptis. Atq; hoc modo ex parte quidē videmus prætextus & cōſilia Pōtificia odio & inuidia fundata; odio, inquam, quo vel hæreticos vniuersè quidem omnes,vel ſeparatim & præ reliquis præcipuos regem Nauarrenum & Angliæ reginam proſequitur.A quibus illi iamdudum nonnihil datum eſt mali,& reſtat adhuc forſan aliquid amplius.

Regi Hiſpaniæ tres fines, ſe priuatim reſpicientes,propoſiti ſunt,qui eum ad generale hoc fœdus expetendum perpulerunt. Primus hic eſt,vt ad fœlicem exitum perducat bella illa cōtra Belgicas prouincias ſuſcepta,ab hæreticis,vt ille vocat, poſſeſſas, contraq; reginam Anglię,quam eidem etiā aſcribit numero. Secundus hæreditarium illud eſt, quo flagrat, deſiderium, Gallias cæteris ſuis regalibus feudis adiiciendi: id

quod

quod multò iam faciliùs se effecturum putat, propter ius illud, quo gaudet coniugis suæ nomine hæredis Galliæ, ob filias suas ab eadem susceptas: neq; enim legi Salicę, cuius conseruatio nostris Regibus honori semper fuit, sese vllo modo teneri putat. Vltimus ille est regis Nauarreni interitꝰ, quē velis remisq; quod dicitur, contendit, vt à Gallico sceptro longissimè amoueat: cùm quamplurima sint, quæ eum in timorem tam potentis aduersarij præcipitent: quem vnum, Deum immortalem ad ipsius & posteritatis eius ruinam & exitium reseruâsse credo. Ex horum tam cōmoda & vtili consiliorum ratione, summa cum sollicitudine generale illud fœdus conflatum est, cuius beneficio & armorum prętextum contra Angliam suscipiendorum corroborat, & inimicitiarum aduersus Regem Nauarrenum: Tum etiam ansam præbet, aliquid per se sua propria industria contra regnum Galliæ moliendi, dum Ducis Guisij, confœderati sui, rebus succurrere studet: Quo cum sine hoc integumento nulla commoda intercederet consiliorum communicatio. Huius vnius auspiciis sperat, se regem Nauarrenum in Galliis perditurum, & sibi etiam de portubus Picardię & Normandię

optimè proſpecturum: quod in maximum malum Angliæ & Belgio cederet: minimè dubitans, quin Rege Galliç ſemel mortuo, & legitimo ſucceſſore è poſſeſsione eiecto, regno iam prędę expoſito, facilè tum quidem in hac lucta Lotharingos ſupplantabit, quibus tum multò ſit futurus potentior. Atq; iſto modo ad ſua priuata commoda prætextũ hũc vniuerſalis fœderis illum conuertere quis non videt? Quaſi non alio conſilio, quàm in ſuam & familiæ ſuæ vtilitatem, hæc omnia geſta eſſent.

Cæſaris verò quæ alia voluntas eſſe poteſt, niſi vt omnes, quicunq; ſint per orbem terrarũ Principes Euangelici funditùs eradicentur? Qua gratia? vt videlicet vniuerſa coniuratorũ multitudo vno impetu irruentes, huius vicinos Principes Proteſtantes exoſſent probè. Sed cùm tanta hęc negotia & tempus & ſpaciũ deſiderent, atq; interea loci vix hoc illi conſultum foret, aliquid creare impedimenti, ne forſan Principes hos potẽtiſsimos exuſcitet, vel ipſo Cæſare longè fortiores, ideò hiſce negotiis ſeſe immiſcere non vult, quod & reliqui etiam Principes Germaniæ itidem faciunt.

Satis iam de Ducis Guiſij cõſiliis dictum eſt, quæ eò ſolummodò ſpectant, vt ipſe ſolus

lus Galliarum regnum occupet, ſi modò id fieri poſsit: ſin minùs, ſaltē vt potiores partes poſsideat: Quia in eiuſmodi votis ſocium libenter nō admittimus: Aut quis in hiſce occupationibus ſe negotiorum geſtorem eſſe patietur?

Hæc obiter ſignificare volui eò ſolummodò ſpectantia, vt intelligatis, ducē Guiſiū ad ſubſidia Hiſpanica ſuis Gallicis negotiis comparanda, ad incepta ſua quauis ratione promouenda, vt mutuā & ſubſidiariam præſtet operā ad Belgicas prouincias repetendas, vt Reginam Angliç, cui peſtem & perniciem exoptat, tanquā ſoli ſui aduerſarij defenſatrici, afflictam & proſtratā aliquando videat, haſce ob cauſas vtilia valde & ſalutaria cum Hiſpano captare conſilia: At verò vt illi integram regni poſſeſsionē cōcedat, ipſe Vaſallus illi fidelitatem præſtet, ipſe ſi ſolus occupare valeat, illi⁹ gratia vt de meliore parte diſcedat, hoc illi, vti ego arbitror, nunquam perſuaſeris: Interim tamen quamdiu ſpecioſos iſtos prçtextus, quibus mirū fucum facit, nobis obtrudit, qui nulla alia re quàm religione niti videntur, hunc vnum pro Herculea planè ſacroſancti fœderis colūna agnoſcere oportet.

Italiæ verò domini de ſua ipſorum con-

ſeruatione deliberant, nihil aliud eſt, quod agant: vndiquaq; concluſi, ex vna parte Papam, ex altera Venetos, ex tertia regem Hiſpanię reſpiciunt, quorũ territoria etiã tam anguſta ſunt, vt de aliis rebus q̃ de ſuis finibus tutandis cogitare ocium non ſit. Atq; hęc vna ratio fuit, quæ eos ad hoc cõmune fœdus ineundũ pellexerit, neq; tamen tanto Catholicæ religionis ardore flagrant, vt non multò magis Hiſpanicæ potentiæ acceſsionem, quàm ſuæ religionis diminutionem reformident. Hoc eos, qui iſtorum prouincias inuiſerint, latere non poteſt.

Dux Sabaudiæ, ex iis qui in vniuerſalem hãc coierint ſocietatẽ, alter exiſtit. Viuẽte adhuc ſocero, hic iiſdem cum illo communibus vtetur conſiliis: illo mortuo, alij fortaſsis nonnulli reperientur, qui nõ tam firmis compagibus in hoc fœdere conglutinentur, vt idem omnino & velint & nolint. Id à me poſtea copioſiùs dicetur.

Tum verò Lotharingiæ dux, quo tẽpore quiſq; præteritorum laborum fructum petet, ſumptusq; factos æquali lucro compenſari poſtulabit, Lotharingica concluſio cum Guiſianis pręmiſsis vix cohęrebit.

Helueticos autem Cantones in iſtuc fœdus coaluiſſe non arbitror: cum propter

eorum

eorum cum rege noſtro publicam, tum ob domeſticã inter ſe fœderis cõiunctionem. Affirmare tamen nequeo, quin ſtipendiis ſolutis, nõ vniuerſali huic fęderi, ſed ducis Guiſij particulari factioni copias ſuas ſubminiſtrârint. Hactenus tamẽ non niſi grauatè ad id pertrahi potuerunt.

Atque hactenus ſingulorum iſtius fęderis ſociorum cõſilia delineare volui, id nimirum vt probem, quod antè dictum à me eſt, ſingulos iſtorum ſingula ſua & priuata deſignata habere à cęteris valde diſsidẽtia.

Tandem vt intelligatur, quod ſi illi Pythiam ad ſua oracula, nos ipſum Apollinẽ adhibeamus, id eſt, multò certiore iudicio & ſaniore conſilio res noſtras adminiſtrare poterimus. Atque vt perpetuo quaſi filo omnia pertexamus, nunc ſequitur, vt quæ eorum ſubſidia, quæ præſidia, inueſtigemus. De quibus hoc confidenter dico, vt ſi ad hęc noſtra, quæ nobis ſemper ad manũ ſunt, conferantur, tam multa in illis deſiderabuntur, vt nobis turpe hoc nimis foret, aliquam repulſam reportare.

Ab infirmioribus eorum ordiar, quo in numero ipſum Cæſarem & Principes Catholicos eſſe reor: Quorum vires etſi ſine dubio magnæ ſint, tamen vicinos habent

tantæ potẽtiæ (vt cuiuis patet) quales sunt Rex Daniæ, Electores, Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus, Landgrauius Hessiæ, & complures alij summi Principes & Domini, vt hi semel si sese moueant, illi alteri ne speciem quidem aliquid aggrediundi præ se ferre audeant.

Iamdudum de Helueticis Cantonibus diximus, quantæ eorum vires sint, & quomodo vniuersali huic fœderi vsui esse poßint.

Quod ad Italiæ principes attinet, ex reliquis omnibus hic vnus, quò ad nos propiùs accedit, eò nobis magis metuẽdus est. Sed primum quicquid potest, id domi solùm potest: Vltra territorij sui terminos & limites, potestas eius latiùs non diffunditur. Tum à certis indiciis, non ab incertis euentibus totus pendet: Socerum habet satis senem: à cuius morte lucro inhiat, neque dubito, quin oculos suos potiùs in Mediolanensem & Neapolitanam ditionẽ defixiùs coniecerit, si succeßio regni Hispaniæ in partitionẽ inciderit: cuius multa manifesta apparent indicia, quum ipsæ filiæ regis Hispaniæ appetentißimæ honoris sint, & iampridem à patre ad publica negotia administranda informatæ iã quasi

in pa-

in paternorũ regnorum poſſeſsione conſtitutæ ęgrè admodum pecuniaria tantùm dote ſe viris nubere patientur & tam immenſas poſſeſsiones iuniori fratri, impuberi, valetudinario, & vt fama eſt, valde etiam hebeti relinquere. Adeò vt (niſi ego fallar) hic Dux ſat habiturus ſit, quod agat, ſi de nulla alia re, quàm de Citramontanis ſuis negotiis deliberet, quum & ipſe montibus quaſi totus concludatur. Ex altera parte, Vltramontanam dico, quandocunque hoc experiri animo libitum eſt ſuo, tam incommoda hæc loca deprehẽdet, vtpote quæ ex vna parte Germanis, ex altera Heluetiis, tertia Gallis, vndiquaque autem Alpibus quaſi finibus ſuis circumſcribantur, vt copiæ illæ in ſua ditione conſcriptæ, quæ alioquin niſi exiguæ admodum in illum alterum locum, vbi aliquid penſi præſtandum eſſet, ſine ſummo & damno & periculo deduci non poſſunt. Quod ad neruos illos belli, pecunias ſpectat, iſtarum domi ſuæ ad lautè & ſplendidè viuendum ſat habet, ad exercitum alendum non item.

Reliqui verò Italiæ principes, quales ſunt Duces Ferrariæ, Mantuæ, Florentiæ, & Vrbini, qui reliquorum dominorũ præ-

cipui ac primarij ſunt, ad maiorem ſolummodò cumulum efficiundum adiunguntur, vt quis ita dicere poſsit: *Ecce numeroſam gentem:* alia quæ cauſa ſit, nullam reperio. Si in Italia hac tempeſtate, inter duos ſummos principes, (quales aliquando Carolus Hiſpaniæ & Franciſcus Galliæ prædicantur fuiſſe) bella gererentur, iſti ſine dubio, in quaſcunq; partes pedibus irent, maximo illis forent adiumento. Si ingens aliqua contra Turcas claſsis paranda eſſet, ſinguli iſtorum vnam aut alteram fortaſsis quinqueremem expediret, nihil amplius: At verò ad magnũ aliquod & periculoſum bellum, veluti contra Gallos, Anglos, Germanos, Flandros, vt aliquid firmamenti aut roboris afferrent, fieri non poteſt. Tum verò, quod antea memini me notaſſe, nunquam tam ſanctè in hoc fœdus iurârunt, quin multò grauiùs de amplificãda Hiſpania, quàm de labefactandâ Româ ſemper ſibi metuant.

Dux Parmenſis, etiamſi hoc ſolùm in illo reſpiciamus, meritò tamen hoc nomine in illo numero cenſeri debet. At verò qua ratione regis Hiſpani copiis in Belgio pręficitur, valde magnus profectò Imperator habendus: Et ſine dubio ingentem gloriã

autho-

authoritatemq; adeptus eſt, ſiue exercitus rationem habeas, cui imperat, ſiue gentis vbi bella gerit. Cui etiam accedit hæreditaria dignitas & exiſtimatio, memoria videlicet imperij materni, huic filij ſui quàm ſimillimi: Sed quemadmodum Dux Sabaudiæ, ita & hic vix ſatis ſibi ſapere videretur, ſi ſua priuata ſibi non habeat deſignata: & niſi certâ potiùs ſpe nitatur, quàm incertâ pendeat: Mea hæc ſententia eſt, hanc ſolam ob cauſam & non aliam, animo conſtanti & infracto tam graues & diuturnos labores in Belgio exantlauit. Sed aliquid adhuc magis vrget. Quamdiu videlicet in bello gerendo perſonā Præfecti regis Hiſpani ſuſtinet, plurimum damni & calamitatis importare poterit. Quod ſi aliam ſibi ad principatum prę muniat viam, & dominatum ipſe affectet, & in manibus quod iam habet, retinere ſtudeat, dum beneuolentia & mā ſuetudine hominum animos detinet, nullum dehinc periculum eſt, quin ex ſancto illo fœdere quamprimum ſeſe eximat.

Dux verò Lotharingię magnus ille quidem dominus eſt, ſed Princeps imbecillus: Cui ademptâ illâ, quâ pendet ſpe, de filij ſui in regno Gallię iure hereditario, quę

ſola cauſa eũ huic fœderi inſeruit, ad quietem & ocium continuò animum adiiciet, nec litigando ſomnum abrumpet. Eſt ille quidem apprimè prudens, nec motus noſtros ab illo profluxiſſe ſuſpicari poſſum. Nunc tamen in communi hac cauſa contra nos ſuſcepta, quin ſuam etiàm ſtrenuè nauet operam, dubitari non poteſt: In quo tamen incommodo, hoc vnum percommodè nobis accidit, quod illius ſtudio retardata, vel comminuta potiùs Ducis Guiſij cognati potentia, id quod neceſſariò filij cauſa faciendum ſibi duxit, multò plus nobis hoc pacto apportat boni, quàm alioquin poſſet, ſi id non faceret, mali. Verùm regni cauſa illum in hoc curſu remorari videtur, atq; id tandem, poſtquam ſibi cum regina matre regis ſua ſocru collatis conſiliis optimè conuenerit, pro filio proprio potiùs quàm alieno regnũ prênſabit. Hoc aũt tanquã honorariũ teneo axioma: Ducem Guiſium in harũ deliberationũ Oceanũ tam altè iã prouectũ eſſe, vt ád extremũ neceſſariò eum vel regẽ vel remigẽ fieri oporteat: nihil.n. eſt tertiũ. Huius rei teſtes citentur, Marius, Cinna, Pompeius, Lepidus, Antonius: Qui poſtquã ſemel tyrannidẽ affectaſſent, id ſolùm reſtabat: *Aut Cæſar aut nihil.*

Sed

Sed quod ad Guisium, de illius subsidiis antea dixi, valde magna ea quidem in Galliis esse, propterea quòd Catholicæ partes magnæ sint, apud quas gratiâ & authoritate plurimũ valet. Tum verò, ꝙ certũ hoc & ratum sit, regẽ ipsum quocunq; furoris aut amentiæ Guisius proruperit, æquo animo omnia laturũ, hoc firmissimũ sibi putat ꝓpugnaculum. De isto verò non est cur dubitẽ, quin vt priuata sibi sua de regno nostro designauit, ita si domi in arculis suis ex India ducati, reliquis responderent, iampridem munimẽta nostra expugnâsset, & pòst aliis etiã mala multa intulisset. Verùm ad extremã inopiã redactus & ære alieno obrutus est: hominis gloriæ cupidi nouisq; rebus studentis manifestum indicium. Hisce accedit, quòd multos suis inceptis reluctantes habet, nõ inimicos solùm, vt regem Nauarrenũ, & ex regio sanguine Principes: verùm amicos etiam & cõfœderatos vt Hispaniæ, Lotharingiæ, Sabaudię hæredes, tum domesticos etiam eiusdem familiæ, qui æquali cum ipso ad regni successionem iure nituntur: cum quibus etiam, siquidem eorum opera necessariò vtendum sit, ad prædę partitionẽ vel inuitꝰ cogetur, si quid fortè sibi deprędari cõtigerit. Negotium mihi crede suspicionũ plenissimum,

adeò vt tota huius vnius socij potentia, nihil aliud quàm gentis nostræ dissipationem & diuulsionem portendere videatur: hunc scilicet propterea præsidiis destitui non oportet. Nam contrà Germanos aut Anglos arma gerere difficillimè adducuntur, imò nec tutum putant: Antequam verò harum rerum Gallicanarum exitus aliquis futurus sit, vt illud alterum aggrediantur, nunquam persuaseris. Longum profectò opus valdeque suspensum: In quo obiter illud quidem notare volui, gentis nostræ proprium quasi vitium: Ita nimirum à natura nos comparatos esse, vt sub rege stabilito iam & confirmato facilè nos ad dissidia & factiones, ad bella intestina, tumultus & perturbationes concitemur. Quod si interregnum esset, si ius regni cõtrouersum foret, nullo modo tanquam Medeæ nepotes, propria membra ita discerpi & diuelli pateremur. Nec verò si princeps aliquis ad occupandum regnũ minus aptum se persenserit, saltem distrahere se facilè posse nihilominus speret: Id vix cuiquam concederetur, nisi potenti alicui vicino Principi, sicuti Hispano regi, qui partim vi, partim vicinitate suæ regionis extremam aliquam oram vel occupatione,

tione, vel vſurpatione poſſeſſam ſibi retineret: Quanquam & hoc difficiliùs reperietur. Deniq; duo potiſsimum argumenta inuenio, ex quibus appareat, minimè tam magnam aut ingentem, quam præ ſe fert, reuera exiſtere iſtius potētiam. Vnum illud eſt, quod in primo huius factionis impetu & ſummo quaſi æſtu, quum huius vnius nutu & verbo omnem Galliam commoueri debere non credere nefas eſſet, tum vel mille equitibus vel pluribus quàm quatuor millibus peditū nunquam ſtipatū conſpeximus; Quæ omnes copiæ, poſtquā & ſuas & quas ex Hiſpania accepiſſet pecunias in iſto milite colligēdo profusè dilapidâſſet vniuerſas, vnius mēſis ſpatio ſunt diſsipatæ: Ex duobus illis hoc alterū erit, quod quū ad prælium diuentū eſſet, parua admodum cohors Germanorū militū conflata, & quater mille & quingentis equitib. & tribus aut quatuor millib. peditum, adiunctis aliquot Heluetiis, inuito Guiſio p mediam ipſius præfecturā vi viâ factâ, in ipſum vſq; Galliæ meditulliū pertranſiit. In tranſitu autem Guiſianas copias quotieſcunq; occurrerēt, ſępiùs & fudit & refudit. Quamuis Guiſius omnes ſuos amicos, ſocios, commilitones ad ſuas ſuppetias iam

conuocâſſet: quamuis ſuis hiſce, maximā etiam partem Regiarum legionum coniunctam haberet. Quáquam vix anno iam elapſo magnificè gloriari auſus eſſet, Germanorum omnes facilè vſq; ad Rheni ſui ripas ſe profligaturum. Id autē vt faceret, plurimū honoris ſui interreſſe. De quo tñ hoc verè affirmare poſſum, ſi ad ipſam ſummitatem tam pernicioſam herbam excreſcere patiamur, ni Deus immortalis illius petulantiam freno coerceat, hūc vnum in omnium longè & pericuſiſsimum & infeſtiſsimum iis omnibus, qui puriorē profitentur religionem, hoſtem euadere neceſſe eſt.

Reſtant iam duæ partes reliquis tetriores: Papa ſcilicet & Hiſpaniæ rex: Ille vt reliquis omnibus clamoſus magis, magiſq; odiosè obſtrepens eſt: Ita etiam & minùs potens. Cui illud vſitatum eſt: *Acutum reddere qui ferrum valet expers ipſe ſecandi*. Et vt verum fateamur, pro cote hic tantùm eſt, qui cultros exacuat. Pontifices Romani eâdē horâ penè, qua in pontificatum ſurrogantur, de electione ſua nihil intelligunt, antea maximam vitæ ſuæ partem in infimo Cardinalium Italicorum cenſu conſtituti conſumpſerunt (nam potentiores inuidiâ & ſu-

& ſuſpicione repelluntur) qui durāte Cardinalatu ſuo, nihil altiùs ſapuerunt, quàm vt annūum aliquod ſtipēdium aut beneficium eccleſiaſticum curatu & non curatū, harpagando clanculum ſibi corraderent. Romę iam hiſce ſeculis Metelli aut Camilli, Bruti aut Pompeij non fiunt Pontifices. In quo malè admodum cum Italia agitur. Quod reliquum eſt, nemo inuenitur, cui non carè conſtet Pontificatus: tam frugales autem ſunt patresfamilias, vt cùm moriuntur, minimum quàm poſsint ſucceſſoribus relinquant: adeò vt nouo Pontifici, tres aut quatuor primi anni ſatis non ſint, ad æs alienum diſſoluendum, quod Papali illa ex empto & vendito pactione contraxerunt. Alij interim duriter viuunt: Illud verò inauditum penè, ſi vltra octo annos vitam propagârint: Quin ſi aliquando (quod abſit) ſecus euenerit: ſtatim illud vulgo vſurpatur: *Exiit ſermo inter fratres, quòd diſcipulus iſte non moritur.* Nam & valde vetuli ſunt, quum primùm eliguntur, ita vt ob breue ſuum imperium niſi in tumulo plurimum nocere non poſsint: Quum igitur Guiſius iſtiuſmodi propugnatores nactus ſit, quid nos extimeſcamus, non video, niſi fortè plumbeas quaſdam bullulas

quæ nisi metuenti, nemini nocent.

In regis Hispaniæ auro, quàm in Pontificis plūbo multò plus periculi inest. Hunc ego perspicio omnium longè potentissimum & primum quasi motorem qui reliquos omnes Planetas tanquam excentrico & concentrico motu agitare soleat. Verùm & hic etiam suas habet incommoditates, cui & manus suas ligari sæpiùs, & maxima nonnunquam de spe decidere videmus. De eo igitur, quia illius fama per vniuersam Europam est peruagata, eò paulò mihi fusiùs dicendum est.

Hic Princeps Carolum quintū patrem habuit, illum Orbis terrarum facem: qui cœlum & terram miscuit, qui quàm magnus ipse vir fuit, tam magnas etiam turbas dedit. Qui in alienâ & delegatâ operâ, quàm suæ ipsius personæ industriâ, semper felicior extitit. Qui omnes sui temporis & seculi Principes vicissitudine quadā & amicos & inimicos habuit: Summus tamen Princeps, Imperator vigilans, si quis alius vnquam, in omni militari labore gnauus, & in reliqua vita comis & humanus: Dignus ille quidem Cæsaris nomine & imperio dignus. Hic eius filius ab incunabulis à patre in arduis negotiis ita educatus

catus & edoctus eſt, vt in rebus gerẽdis ille peritior, hic multò tamen illo habitus ſit fortunatior. Verùm & illud inprimis huic filio percommodè cecidit, quod cùm ſua hæc tempora ad optima quæque incitauerint, neminem tamen inuenit qui ſeſe illi hoſtem conſtituere voluerit. Patris ætate vixerunt Magnus Franciſcus Galliarũ rex, Magnus ille Angliæ Henricus octauus: in oriente Solimannus, in Germana Principes, qui ſatis multis illum implicârunt negotiis, ita vt, quoquo ſe verteret, vlcus tangeret. Preterea incidit in vicinas & circũiacentes gentes non minùs potentes, nec aptas minùs ad illum bello prouocandum, quàm ad vim à ſeipſis propulſandam. Hæc ſunt, quæ patris à filio diſcrepantẽ conditionẽ apertè demõſtrant. Contrà verò Philippus hodie Hiſpaniæ rex tam proſperâ ſemper hactenus fortunâ eſt vſus, vt nihil aduerſi eam vnquã contaminauerit. Sed & hoc illis potiùs principibus, quibuſcum vixit, quàm illi ipſi, tribui debet. Gallia hac ſua ætate fœminã gubernatricẽ, reges pupillos habuit: Tum bellis ciuilibus ita vexata, vt domi q; ageret, plus ſatis haberet. Angliam etiam fœmina adminiſtrat, q̃ ſui ſexus inſtinctu ducta, ſatis ſibi eſſe putat, ſi

Gallia.

Anglia.

ſubditos in officio quietè & tranquillè retinere queat, ſibi ab exterorum proditoriis & perfidis conſiliis potiùs cauere, quàm aliquid in alios machinari ſtudet. Germania per Principes regitur pacis amantes. Ad orientem Selimus imperat, magnus ille & bibax & helluo, cui nihil niſi potare iucundum. Et poſtea illi ſucceſſurus Amurathes filius ſemifatuus, qui turri ſuâ tanquam caueâ incluſus, nunquam vel pedem è limine efferre audet. Vt minimè hæc quidem vel virtuti eius tribuēda ſint vel ſecundæ nimium fortunæ, ſed potiùs qui ad infortunium eum adigeret, nemo inuentus eſt. Ita quaſi ſine aduerſario ſtrenuus videtur. Neq; verò in hac tātâ, vt alij volunt, fortunâ tam memorabilia effecit. De Portugallia & India triūphus facilis multò magis quàm felix fuit. Tum occupatis illis Inſulis q̄ vulgò Terciere vocantur, & Gallis etiā deuictis, tam mirū hoc aut magnū videri nō debet, ſi quis cogitârit, iuſtas & cōpletas ſuas legiones Hiſpanos eduxiſſe cōtra turmā aliquā tumultuariā in Galliis & ſeruorū manū ſine delectu collectā. Quod ad prælia illa ad Grauelin & S. Quintin cōmiſſa: hæ tantū ex victoriis paternis relliquiæ erāt: Hæ illæ legiones fuerāt, q̄ ab ineunte

Germania.

Turcia.

eunte ætate eadem cum Carolo iam sene fortuna vsæ essẽt, vt parũ hic de suo sibi vẽdicare possit, neq; verò ipse tũ ibi præsens intererãt. In Italia nil aut mouit aut promouit quidẽ: In Burgũdia & regno Neapolitano & Sicilia nihil: Cõtra verò in Africa Golettã perdidit, vnica patris sui spolia, & totum iam quicquid in illis locis habuit, reliquũ. In Flandria nihil adeò magnũ hacten⁹ effecit, quin adhuc multò maiora facienda restent. In causa est, ꝙ ibi eos inuenit, q illi facilè frigidã suffundãt. Antea nõ repugnãtes, facilè fuit vincere. Nunc Nunc tãdem, postquã dignos sua virtute hostes irritauerit, quid in Anglia cum tanto illo apparatu bellico sit facturus videbimus. Nunc tãdem illam tam gloriosam suam fortunã ostentandi occasio datur. Interim tñ, in quo præsenti statu sit iam, videamus. Primùm ad ætatem quod attinet, vetus, vietus, veternosus est, corpore languido, decrepito, penitùs confecto: Duas tantùm filias habet, & vnum puerulum. Illæ magnificæ, procaces, gloriosæ, vt nihil suprà: Altera duci Sabaudiæ nupta: altera in sinu paterno enutrita, in negotiis regni instituta: Hæc clauam imperij tenens, omnia pro libidine sola administrat. Filiolus adhuc

Vidimus erupit in neruum.

puerulus, iudicio vix ſano, ætate infirmâ, q̃ antea diximus. Fontes ipſos ſeditionũ videte. Nam in Hiſpania fęminę ſuccedũt. Tum verò illius regnũ valde diſtractũ eſt. Belgiũ, quod tanquã pinguiorẽ bolum prę reliquis auidiùs deglutire ſolebat, de eo iã os illi probè oblitũ videmus. Illas prouincias, quæ illi prorſus præciſæ ſunt, & cum Regina Angliæ in vnum regnũ coaluerunt nulla deinceps recuperãdi ſpes eſt reliqua. Quas verò Parmẽſis Princeps ſuo imperio ſubiectas tenet, vix tutò ſibi polliceri poterit, eas ex fide bona poſt mortẽ ad liberos ſuos deuolutum iri. Alterum eccę Principẽ magnificũ & magnanimũ, imperatorẽ peritum, quem & ſui amore, & alieni honore proſequuntur: qui & iuſtum & moderatũ in ſubditos, maternis iam antea bene & libenter gubernaculis condocefactos, exercet imperiũ: Qui iamdudũ & potentiæ & authoritatis ſat eſt adeptus ad fundũ hunc dotalem retinendum, idq́; in Portugalliæ compenſationem, quẽ rex Hiſpaniæ illius iudicio illi iniuſtè ademit: Qui deniq; quicquid fiat, iniquiſsimè feret, tantorum ſuorum laborum fructus, à fœmella aut puerulo percipi debere. Mediolanenſis ducatus Sabaudiæ vicinus eſt. Ille etiam ius ſibi con-

bi coniugis suæ nomine prętexet,& stipulationem propter nuptias vrgebit sedulò. Neapolitanum regnum & vrbes Italicæ, Mediolanẽsis Ducis & partes & fortunam sequentur. Portugalliis ne adhuc quidem satis fidere potest:Lusitani Hispanicum iugum ferre nequeunt, tantò semper omnibus magis inuisum quò vicinum magis.Id aliâs etiam inter homines plerunq; videmus vsuuenire. Ex India verò omnes tam Lusitani,quàm Hispani,huius imperij nerui atq; artus in illius partes penitus ibunt, qui Hispaniam aut Lusitaniam occupabit. Hæc cùm ita sint,consultiùs fecerit Hispanus,si deinceps de suis rebus & posterorũ, quorum à morte sua regna mirificè distractum iri facilè videt, potiùs quàm de vicinis suis infestandis sollicitus erit.Opulentum eum fateor.Sed sumptum eum facere oportet, qui quærit lucrum : qui infinitas profundere pecunias necesse habeat: quũ nulla regio, nulla prouincia illius ditioni subdita sit, in qua amplissimis stipendiis innumeros milites alere non cogatur.Quẽ vel ad extremam iam inopiam redigi ex eo liquidò liquet, quòd Flandricæ suæ copiæ nonnunquam integrum annum aut octodecim menses totos sine soluto stipendio

queribundæ maneant. Neq; verò vt hoc lar giamur, tam pecuniis abūdat, quàm milite destituitur. Nam nisi ex Germania, Hispania, Italia, Burgundia, aliorsum, vnde colligat, nusquam reperit. In quo quàm parum valeat, videte. Nam quod ad Germanos, nos modò inter nos vnanimes & cócordes simus, vel vnum militẽ cóscribere, vel saltẽ eò loci, quò illi velint, traducere, penes nos erit prohibere. Itali verò aut Hispani non sunt ij, quorum ingens multitudo colligi aut numerosus exercitus conscribi possit: neq; populosæ hæ gentes sunt, quod omnes nôrunt: Pro transitu vel cum Gallia, vel Belgio, vel Germania illis futura res est; loca hæc omnia nobis vicina sunt: Tum aut per mare, aut per terræ loca ardua, aspera, decliuia traducere oportet, vt si bene nosmet nouerimus nos, dimidiatum exercitum antea amittant, quàm illis vsui esse poterit. Hispanis vel per mare vel per montes Pyrenæos trânseundum necessariò est: Italis per Alpes aut Germaniam: loca hæc omnia (modò id nos velimus) illis vndiquaq; præclusa. Quod reliquum est: Rege Hispano in propriis suis finibus si se contineat, nihil miserius aut abiectius, nihil oppugnatu facilius cogitari potest. Et certo certius

certius hoc eſt,per Portugalliam eum facillimè debellari, & perdi poſſe, ſi quiſpiam, Domino Antonio rege iam fugato, acriter & animosè eum aggredi voluiſſet.

Breuiter hîc hoſtium noſtrorum ſummã potentiam deſcriptam videtis: quam mea ſententia,ſi diligentiùs perpendamus,minimè quidem tam magna apparet, quam homines opinantur.Rerum exitus & varia exempla id probant. Etenim triginta iam anni elapſi ſunt,ex quo Belgio recuperando totus incubuit,in quem vnum locũ etiã vniuerſam ſuam penè contulerit potentiã, neq; adhuc tamen quid tam egregiè pręſtiterit,quicquam apparet.Et quanquam hoc dicere nefas ſit,eum ſatis dignum ſeſe hoſtem adhuc reperiſſe,perſpicuum tamẽ eſt, niſi defunctus Alenconius malè rem adminiſtrâſſet,niſi violenta mors piiſsimæ memoriæ Principis Auraici,nimis infœliciter interueniſſet, Hiſpanicæ imbecillitatis locupletiſsima teſtis, iam totus quaſi deſperabundus iaceret,totumq; Belgium, fecerit licet quantum quantum potuerit, ſine aliqua ſpe amiſiſſet.

Atq; hoc modo inimicorum noſtrorum rebus,quo in ſtatu ſint, ſingulis ſigillatim conſideratis, Gallicũ illud prouerbiũ verũ

esse, facilè deprehendemus : *Quicquid splendescat, omne id aurum nõ esse.* Postea verò si quis ea aspiciat coniunctim etiam vniuersa, id nimirum magno adiumento esse poterit, ad idem mecum ferendum iudicium. Nam & locis & regionibus mirum in modum disitos animaduertet: Quorũ maior pars & potentior in Hispania Italiaq; consistit, quadringentis milliaribus per terram inuicem disiunctis : Altera in Galliis, verùm illa tam exigua tamque exilis, vt nisi Hispanorum & Italorum facultates hisce adiungantur subsidiariæ, illæ alteræ citò & nullo cum negotio opprimentur. Tum verò deprehendet, singulos eorum qui huic generali fœderi socij asciti sunt, ne minimã quidem partem votorum suorum ad commune fœdus afferre, reliquam ad priuata sua consilia omnino referre: Maximam autem eorum omnium partem, ad eandem quasi metam collimare animaduertet: Regem videlicet Hispaniæ, Lotharingum, Sabaudum, Guisium, Duces in vno Galliarum regno competitores esse: In quo quidem negotio fieri non potest, quin variæ inter hos intercedant invidiosæ suspiciones eademq; quæ primum eos cõiunxit, tandem etiam & disiũgat ratio. Perspiciet præterea
in

in multis contrariis planè & dißidentibus inter se pugnare consiliis, qualia Ducis Parmensis, & Sabaudiæ esse iam antea significaui: Denique facilè quis cogitare poterit illi duo posteriores quales sint, qui istius fœderis, quasi sacræ ancoræ sint, à quibus reliqui omnes pendeant, Regem dico Hispaniæ & Pontificem Romanum: Illum planè decrepitum iam videri, & diuturno morbo ita confectum, vt anno hoc proximè superiore, omnibus se publicis negotiis abdicauerit, ita vt innumeri homines eum ob nimiam ætatem sensibus iam penitus orbatum iudicarint. Alter Pontifex Romanus est, in suis iste bonis vsufructuarius tantùm: durante vita ipse potitur: aliis vero alienare nullo modo debet. Neq; verò ætatem si spectemus, diu hic viuere potest: talem autem successorem relinquet, qui de sua familia euehenda magis sollicitus sit, quàm de deprimenda alienâ. Qui noua potiùs ipse secum inibit consilia, quàm præcessoris vetera vestigia persequetur.

Atq; hic veluti in speculo aduersariorũ nostrorum vires & potentiam, non latiore tantùm specie adumbrata, sed limatiore forma, id est, propiùs singula delineata aspicere licet. Nunc si eorum cõmunibus sub-

ſidiis noſtra item communia opponamus, vt hæc cum illis ex aduerſo pugnēt, ſi quaſi in vnum conuocemus illa Reginæ Angliȩ, Regis Nauarrȩ, regis Daniæ, Germanorum Principum, Statuum atq; ordinum Belgicorum, Cantonum Helueticorum, quam ingentem hîc manum, quãtam potentiam reperiemus. Si verò contrà quã de illis dici poteſt, noſmetipſi noſtris commoditatibus inſeruire velimus, ex facili hac & minimè impedita noſtrorum omnium plus q̃ adamantina coniunctione, Galliæ nimirũ, Angliæ, ſuperioris & inferioris Germaniȩ, Heluetiæ & reliquarum, quæ omnes mira vicinitate tanquam Homerica aurea illa Iouis catena inter ſe inuicẽ cohærent: Nonne priùs nos eorum omnes conatus facilè infringere poterimus, quã illi aliquid contra nos tentare valeant? Nos inquam quos Dei religio tantò firmioribus nexibus & compagibus coniugauit, quãtò noſtra hȩc quàm illorum multò purior, ſincerior & ſolidior exiſtit: Nos q nihil aliud molimur, quàm vt noſmetipſos defendamus & iura noſtra tutemur: hoc nos coniungit: Nos qui nihil priuati habemus deſignati, quod maleuolentiam inter nos aut inuidiam gignere queat, cuius cõtrario impetu diuelli

aut

aut diſtrahi debeamus. Quis tam hebes eſt, vt de iſtis dubitet? Sed & rationes attexam. Tres anni iam ſunt ex quo Rex Hiſpaniæ omnia Italiæ nemora ſecuri percuſſa vaſtârit ad triremes ſuas ſolummodò ædificandas, omnes Africæ Moros, viliſsima mancipia precio ſibi coemerit, quos ad remos ablegaret: Totam Indiam ſusq; deq; funditus ſubuerterit aurifoſſarum multitudine, quo Viperinus hic partus terræ ſuæ parentis aurea viſcera exenteraret, quaſi iam ad nauſeam vſq; auro ſe ſatiare vellet. Tres anni ſunt ex quo nihil aliud quàm ancorę, funes, rudentes, vela omni iam populo in ore fuit, quum ipſi Oceano interminatus ſit, niſi claſſem ſuam ſoſpité reduceret: Quũ noſter hic Aeolus vẽtos cogeret, ne vel minimam auram ſibi niſi ſecundã afflarét. At quorſum hæc tandem? Ad vnam (ſi diis placet) ingentem Hiſpanicã Armadam, vt vocant apparandam, id eſt, bellicã claſſem nimis ſuperbã, cui⁹ ſola vmbra nõ reliquarũ nauiũ malos tãtũ, ſed turriũ templorumq; Anglicanorum pyramides omnes & ſummitates incredibili terrore obſtupefaceret. Totum trienniũ ſexagenarius hic, vnã hãc Armadam parturiuit. Id q̃, & aliàs accidere ſæpe videmus, vt maxima queq; opera nec

facilè nec vno impetu prorumpant, aut foras ſeſe proiiciant vniuerſa: Sic & iſte longo iam tempore & multo cum dolore quaſi prægnans decubuit: Et tamẽ neſcio quomodo ſemper ferè minora quiſque parit, quâm parturit. At verò tandem aliquãdo, ſi diis placet, Elephãtis hic partus in Biſcaia excluditur, in Conquetto ablactatur, ad extremum non longe à Caleto Angliam ex aduerſo oculis deſignans, ſatis ſibi fortis & maiuſculus videbitur, qui ibi in Capiſtri ordinem, hem, equeſtrem volui dicere, cooptetur, qui ibi vel aureo garterio, vel ferreis compedibus meritiſsimè donetur. Hoccine parum argumenti eſt, in vno loco, in Anglia ſola ſat virium nos in promptu habere, ad huius omnium noſtrorum hoſtium potẽtiſsimi conatus refellendos? Tres anni ſunt, ex quo illi inſulæ minitatus eſt, quam tamen adhuc ne perterrefacere quidem potuit: Hui quando tandem illud adueniet tẽpus in quo nocere queat? Tantundem temporis eſt, poſtquam Dux Guiſius Regis & regni bonis lepidè illudens, Hiſpaniȩ pecuniis ſubleuatus, copiis ducis Parmenſis omniumq; Catholicorũ Principum ſubſidiis ſuſtentatus, contra regem Nauarrenum arma geſſerit: Interea

loci

loci in hūc finem collecta militum manus est: octo exercitus terrestres, vnus, nonus videlicet, naualis fuit. Ex his (Deo immortali soli sit omnis honor & gloria) octo re infecta domum inanes reuertuntur. Nona vno prælio deuicta & deiecta est vniuersa. Et tamen quis tam proiectæ audaciæ saluo pudore hoc asseuerare audeat, pauperculū hunc Principem interim vel vno teruncio, aut vnico saltem milite à quoquam subleuari, immò verò pecuniis & subsidiis, quæ ab amicis subministrata sunt, vel interceptis, vel saltem ipsi in manus nunquam trā ditis, nonne adhuc vel sole meridiano clarius apparet, istorum hominum virtutē in pompa potiùs quàm in pugna esse sitam? Viginti anni continui sunt, quibus rex Hispaniæ Belgas oppugnauit cum omnibus suis copiis, partim ex Hispania, partim ex Italia collectis, quibus adiūxit etiam quascunq; à Germanis accipere potuit: In omni prælio fortunatus, nunquam commissa pugna est, in qua ille non quasi trinmpharet. Et tamen quid tandem perfectum est? Hodierno die eo planè in loco res sunt, vt si ipsi Belgæ bona sua probè nosse velint, huic profectò, quia tam longè à meta aberrauit, à calce ad carceres redeundū necessa-

riò eſt: nec id ſolum, ſed in magno etiã diſcrimine verſatur, ne & omnium laborũ & ſumptuum, quos ibi impendit, iacturam fecerit. Iam verò cogitem⁹: ſi Daniæ rex, Germaniæ Principes & Heluetici Cantones, q̃ hactenus hoſtilem impetum nondum perſenſerũt, ſua ſubſidia adiunxiſſent ad regis Hiſpani ferociã in Flandria & Anglia perdomãdam, ad Guiſianorũ etiam in Galliis coercẽdam libidinem, quamdiu putamus haſce eorum contra nos molitiones duraturas, ſi probabili ſaltem hominum coniectura niti volumus? Etſi multa à me iam dicuntur, tñ multò plura hac in parte à me prętereuntur. Interim, quãuis nos maiores copias, plura etiã adiumẽta habeamus, modò in res noſtras penitiùs introſpicere velimus, tñ dum illi econtrà multò meliùs ſibi noti ſint, & vnà etiã nobis longè fiunt valentiores: Sit hoc noſtræ potius deſidiæ, q̃ eorum ſollertię, noſtri languoris, non eorũ ardoris propriũ: Deus pro ſua miſericordia nobis hoc largitus eſt, vt & in pace viuam⁹, & ab eorum tyrannide nos vindicemus, & quod maius eſt, etiã eorum colla ſub iugũ mittamus, ſi modò id facere noſmet cupiamus. Sed vt totam hãc rem, ſicuti primùm inceperã, ita etiam Theologorũ more conclu-

cludam: Ego quidem ſic exiſtimo, Deum immortalẽ pro ſua diuina prouidentia hęc omnia gubernare, cui quid magis diſplicere poteſt, q̃ vt nos propriis viribus noſtram libertatem potiùs, quàm illius ſummæ miſericordię acceptam referamus? Sed neſcio quomodo mihi iam videor, quàm antea, cũ animo magis ſoluto, tum ingenio acriore pauloq́; vegetiore, qui poſt totam iam Europã penè decurſam, perturbatã & afflictã, idq́; diuiſionib9 ex religione ſolummodo ortis, nunc tãdem ad Gallias reuertar, quas ſolas hac venenata lue infici putabam. Sed nec Gallia ea ſola eſt, quã Deus afflixit, nec ſola ea, cui Deus minitetur, verùm & aliæ regiones eandem contagionem contraxerũt. Ad Gallias igitur iam redeo. Atq; nunc tandẽ ad extremũ, integumẽtũ illud nimis craſſum & velũ, q regis oculos tam diu prę ſtrinxerat, eiq́; fucũ fecerat, eiusq́; exẽplo reliquis omnib. Gallis, ad extremũ, inquã, detractum hoc inuolucrum eſſe & gaudeo & gratulor. Ante triennium cùm in prima herba hæc factio quaſi pullularet, nonnulli tũ homines tam pręfracto animo & pręfricta fronte reperiebãtur, tam tardi tamq́; imperiti, vt perduellionẽ hanc excuſare turpe nõ ducerẽt: quin religionis velo obtegerẽt,

formidinem nescio quam simularent, ne aliquando regi tam Catholico forte succederet Hugonotus. Bellus hic prætextus proditoribus vsui fuit, regi ad latus assidentibus, quem tam suis affectibus furiosè deditum, quem vesanæ superstitioni deuotum probè cognorunt, vt hoc vno verbulo illi os occluderent, omnem refellendi ansam præriperent, omni deniq; saniore mente priuarent, quò minùs de hisce rebus, prout decuit, iudicare posset. Nunc verò cedo mihi hominem ex vniuersa Gallia vel vnum siue Iesuitam seu quem alium, cui tam ferreum os, vt audax illud, ne dicā impudens, Ducis Guisij contra regem suum facinus defendere ausit. Quale & cuiusmodi hoc fuerit, eum ipsum appello, qui palam id euulgauit. Quod si quis meam de hisce reb. sententiam, quid futurum sit, requirat, nimium ille, vt ingenuè fatear, mihi pensi imponeret. Quin & antea diximus: Nihil Regi tam periculosum esse, quàm maiestatis suę diminutionem: Eam autem nulla alia re labefactari magis, quàm si hoc semel innotescat eum sibi ab aliquo subditorū metuere: cuius hæc vna metus species est, in hominū libidinibus conniuere, vel potius indormiscere; in audaces & facinorosos

mini-

minimè animaduertere velle. Hæc nihilominus quum vulgaria tantùm delicta sint priuatosq; homines solũmodo respiciant, tum quidem mansuetudinis & clementiæ integumento timiditas hæc inuoluitur. At verò, (ô cœlum, ô terra, ô Maria Neptuni) si aduersus Principẽ ipsum capitalia hæc flagitia nefarij machinentur, si religiosam illã obseruantiam, quæ sacrosanctæ regis personæ debetur, violent, idque impunè ferãt, ista qui sustinet, rex esse desinit: Si parricidium hoc tam inexpiabile remittat, si rex alto silentio premat, quid in illud merito vsurpare liceat. Sceleris finẽ putas? Gradus est. Neq; dubitandum est, quin intra vnum bienniũ in tam prodigiosam prorũpet audaciam, vt illam alterã ludum iocumq; dixeris prę eo huius rabies quod dabit. Religionẽ reformatiorẽ ipse profiteor, diuinæ hoc gratię tribuatur, qui me tãta misericordia dignatus sit: Ego, inquã, q impiè in Deũ ingratus, ob supinã beneficiorũ antea acceptorũ obliuionẽ, indignũ me reddiderim, hoc posteriore, cum illis superioribus non conferendo: Nihilominus si eò res rediret, vt rex in ea iam opinione esset, regẽ Nauarræ nosq; reliquos tam grauiter eum lęsisse, tam abiecta, & horrẽda tñ contra & vitam

&c regnum suũ inceptâsse, vt salua conscientia ignoscendum hoc nobis non sit. Longè hoc à me absit, vt sub specie huius querelæ illi cõsulere ita debeam, nos ad se traducere, iniurias has obliuisci, ad subsidia & priuata officia adhibere, ad hisce eũ exuendũ in quas coniurati induerint, angustiis. Hoc vnum tamen, neq; vt Gallus natione, neq; Christianus vocatione, sed tantùm homo conditione cùm sim, ausim cõsulere. qd dixi, cõsulere? immò diuinare potiùs. Quod si ira diuina in illius medullis vel intimis hęrens ad salutem suam procurandam impellere nequit, vnaq́; cum sua regni etiam incolumitatem, ad rectam pacis viam indagandã, ad omnes deniq; imperij sui partes suis solis exceptis radicitùs extirpandas: & cùm ille solus sceptrum teneat, vt illud in frusta ab aliis comminui indignè ne patiatur, dum singuli sibi frustulatim arripiant. Ipse rex huius totius mali fons & caput quum sit, quidni sibi certò persuadeat, Deum immortalem iustũ illum & iudicem & vindicẽ, illi pro salute q̃ expectat, & exquisita & accumulata immissurũ supplicia. Hęc de coniuratis tantũ intelligi nolo, de nobismetipsis etiam iam loquor. Id quod aduersarij scelere impulsi, nos necessitate coa-

te coacti facimus. Interim tamen ad regem regniq; conditionem quod attinet, vtrunque hoc æquale eſt, regnum pari modo diuulſum & diſcerptum, tam ab vno quàm ab altero eſt: Subditi æque à nobis atq; ab illis cõiuratis diſperſi & diſperditi conqueruntur. Et tamen niſi noſmetipſos nos defendamus, illi oppriment, & ſi nemo alius, illi tamen ſoli nos perſequẽtur. Et niſi noſmet regi nos ſummittere velimus, illi regem ſibi ſubiicent: & haud ſcio an verè illud affirmare poſsim: Iſtuc damni quod regno neceſſariò nos inferimus, nihilò tolerabilius eſſe quàm quod ij ad ambitionem ſuam, cupiditatem & libidinem tãtùm explendam important. At hei miſeris ad tantum malum, hoc vnicum reſtat remedium: *Sola eſt ſanitas velle ſanari:* vt velit tantùm curari, id deſideratur. Sic ſine dubio Rex futurus eſt non tam pacatus quàm præpotens, cui libenter homines obtemperent, quem metuant, quem ament, cuius virtutem admirentur, ipſe modò illud velit. Sed quî tandem à Deo precibus hoc impetrari poterit? Vt illi in manus hæc detur poteſtas in ipſius animo priùs inſideat oportet voluntas. Summe Princeps, num tibimetipſi tute non credis? neminem profectò à

consiliis habes,cui tuti⁹ fidas. Quin ego te aliàs hisce auribus audiui, regi Portugalliç hoc vitio vertentem,quòd vni prælio suas fortunas committeret. Prudẽter nimirum innuebas,Principe suis bonis exuto prorsus & denudato nihil luctuosius, nihil calamitosius cogitari posse. O tẽpora! Vbi nũc peregrinãtur saniores cogitatiões tuç? Tu non semel, sed centies teipsum & tua omnia periclitaris: Quis tandem homo fanaticus hoc tibi in animũ inurere potuit? cõiuratos istos, quibus mors tua lubido est, quibus diadema tuum vltim⁹ ille finis est, arma sua,q̃ tuũ solum iugulum petunt,depositurosʼsi tu modò mucrones tuos strinxeris,si tu phalanges instruere cõtra Euangelicos velis.Vah callidum cõsilium! Minimè verò gentium,quin hos sinas potiùs si sapias,aliàs ab illis nunq̃ tibi pax est expectãda.Et credo sanè, modò sine periculo vitæ hanc in perpetuũ amandare posʃis,nõ deesse ad manũ impudẽtes Pseudolos, qui quotidie tibi hoc in aurem insusurrent.Te Lutetia tua fugatum, repulsum, eiectumq; vidit,id q; nunquã antea vel ab Anglis, vel Hispanis,vel Germanis,maioribus tuis factum legimus.Quid tu cõtrà per literas patentes populo declaras, nimiã tuam morã

in

in causa esse, cur illi antea hanc noxam tibi non remiserint. Ita scilicet tu atrocissimã iniuriam ad animum reuocas. Tu populo edicis, vt vota faciãt, quò citiùs cum illis in gratiam redeas. Quomodo igitur. in Regẽ hostili impetu inuadere nihil est periculi? Esto, quoniam ita vis, qui hodie igitur tibi fugam accersit, quin cras idem mortem tibi conciscat, dubitare non debes. An non hoc, potentissime Princeps, te periclitari est? cùm subditis tuis commonstres, nihil faciliùs quàm quiduis in te vitamq; tuam machinari? quum vindictæ & supplicij loco vota facis, vt ij citò pacari possint, qui à te meritò suo mactari debeant. Quis tam infelici te opinione fascinare potuit, nisi bellum ciuile, nullum aliud tuo malo remedium inueniri posse. hoc vno modo regnum tuum, authoritatẽ à subditis vindicandam. Vah præstigias, quę tandem fallacia est, si hæc non sit mera impostura? Ædificio nihil infestum magis quàm incendiũ, corpori quàm continua febris, imperio quàm bellum intestinum. Hisce malis mederi expetis? ignem extinguito, qui ædes vastat, febrim illam continuam expellito, qua regnum tuum contabescit, pacem restituito, quæ incolume conseruet. In hoc

ſolo regni tui ſalus conſiſtit & incolumi-
tas:At,inquis,hoc vno verbo audito de pa-
ce cum Euangelicis confirmanda,ſtatim in
te vniuerſa totius orbis Catholicorum ar-
mata multitudo irruet, qui te de regno de-
turbabunt.verum quidem hoc eſt,ſi hæc i-
ta dicis,vt ille,qui non ita pridem ſpectan-
te Duce Guiſio,Pariſiis aufugerat.Quin il-
lam potiùs virilem tuam vocem audire cu
pimus, qua ad Iarnacum & Moncontour
triumphabas, qua tu ſolus & vnus perter-
refeceras hoſtes magis, quàm totus reli-
quus exercitus; illo te modò loquenté au-
diamus; videbis quàm omnia ſtatim con-
tremiſcant.ſi pio hoc& religioſo ardore ad
arma te accinxeris, Angli, Germani, Hel-
uetij equitatu & peditatu frequentiſsimo
tibi in ſubſidium accurrent. ſat tibi copia-
rum dabunt ad Hiſpaniam,Italiam, Galliã
etiam vnitam debellendam. Primùm ſta-
tus tui incolumitatem in hoc poſitam ipſe
cogita, poſtea faciliùs id ſubditis tuis per-
ſuaſeris, quum tu ipſe id credas: & ſi illi id
credant, & tu idem velis,hoſtium tuorum
loco habeantur ij, qui contrà ſentiant. Tu
verò coniuratos metuis, at cur? vt alij pro
te animoſi ſint,iniquè poſtulas.vnde niſi à
te exempla petant? Largire, largire tandẽ
iuſtam

iustam & æquã populo tuo pacem. A tuis Catholicis initium sumas, fac ij bonum æquumque orent, cæteri vt facilè in viam reducantur, dubitare non potes. Fungos meros esse oportet, si tibi in tam mala causa velint obsistere. & tales etiam futuri sunt, si æquam fortè pacem respuant: sed neque facient, neque vnquam adhuc ab iis hoc factitatũ est. Hugonotis Minister, concio concedatur, id sat habent, nihil aliud optant. & tu tamen adhuc metuis. At quem tandem? Deus bone! num Regem Hispaniæ? quin ostendis illi aliquem parentis, aut aui depictam tabulam. ipsæ Castilliæ à fundamentis concussæ totæ tremẽt exhorrescenteque, postquam hanc aspexerint. Num Pontif. Romanũ? an non hæredes Borboniæ virtutis tibi præstò sunt? vah aniles fabulas. Quî fieri hoc potest, vt tibi qui tam multa videris, tanta ipse feceris, ita multo vsu & experientia valeas, vt tibi (inquam) tam altè hæc sine ratione insideat opinio. Duo hæc certissima effata esse puta: vnum, neminem inimicos tuos firmiorem amicum habere, quàm te. Alterum nisi crassior illa nubecula prope Rupellas, quam illi centies magis quàm te metuãt, hoc malũ auertisset, Busta illa pa-

triæ ſuę tibi etiam regi rogum accẽdiſſent. Hoc tertium adde & crede etiam verum eſſe, regni tui & populi tranquillitatem quandiu velis, etiam ex animo expetas, nunquam tamen effeceris, quin per te hoc ſolum ſtet, quominus tu inter tuos domineris, quò minus & hos & illos ſceptro & Regiæ tuæ dignitati tam ſupplices humilesq́; reddas, vt ne digitis quidem crepant, niſi te permittẽte. tibi hoc quotidie in aurem inſuſurrant: Catholicorũ partes multò potentiores eſſe, tibi huic tanquam oraculo credendum: te eorum Principem & ductorem conſtituere oportet, & Guiſio hæc palma præripienda eſt. decipere hoc quidem, non conſulere eſt. An te ab illis ad ſuas partes traduci oportet? tu eos adeas? an illi potiùs ad te adueníant? tu eos recipias? Regem eſſe, id ſolum tuum eſt: id ſolum tibi agendum eſt, reliqua omnia hinc cedant oportet: Quid hoc monſtri eſt dicere? Galliarum regem de duce Guiſio anxium & ſolicitum eſſe, ne forſan ab eo maieſtas illius violetur, authoritas labefactetur. Num te hoc latere poteſt? hac ſuſpicione ex rege te æqualem, ex æquali inferiorem continuò facere? Multi ad regnum aſcenſus ſunt; deſcenſus nullus. Regem ſemel

mel deſcendere præcipitare eſt. Suadent vt iracundiam contra nos ſaltem prę te feras, qui cum aliquantulum bellè ſimulaueris, poſtea ſeriò ad rem ipſam redis. Nec verò aſtutiarum hic finis eſt: & niſi impetus quidam religionis tuæ quaſi turbo te abriperet, tu ipſe id facile perſentiſceres. Hoc tibi certò perſuadeas, Ducem iſtum qui eò iam in regno tuo prouectus eſt potentię & fortiorem & maiorem partem eorum, qui illi adſunt, non vlla alia tenere ratione, niſi quòd contra teipſum ſua omnia tela intenderint. Illos verò qui ſuas illi locarunt operas, nihil aliud ſpectare quàm Hugonotorum exitium, cogitas? minimè verò gentium. Nec habet victoria lucrum: ſi ego me ad illius ſectam penitus abiicerem, quod ad me attinet, vt ingenuè fatear, quid ſentiam, ſola ſpe illius aliquando regni occupandi, iſtuc facerem. Nam vt illos rumuſculos, popularis auræ ardore religionis Catholicæ tantum collegerit, quod innumeros Hugonotos excarnificando mactârit, hoc forſan ad Pariſienſes baiulos, qui per plateas vociferando Hugonotos inclamarent, concitandos aliquid ponderis haberet: atqui vt regnum ſuo loco dimouere valeant, illis multò maiora cogitãda ſunt.

Et hæc tamen leuiſsima cùm ſint apud te, haud in nulla exiſtimatione ſunt, qui aduerſus Euangelicos fortis & animoſus, contra coniuratos imbellis & meticuloſus ſemper extitiſti. Hęc illis contra ſubſidia exiſtimationem, gratiam, authoritatem conciliant, te autem expaueſcentem cum quis videat quidem, quid eſt cur ille attonitus non conſiſtat? Quæ maior peccandi illecebra quàm impunitatis ſpes? Naturæ quodam impetu ad libertatem ferimur. Quæ vnquam regia poteſtas extitit, quæ popularem non fieri non tentauerit? Regibus ſua maieſtate illæſa quid charius, quid antiquius eſſe debet? qua tandem amiſſa, duo ſolum reſtant remedia ad eam recuperandam, quæ vtraque eum metui faciunt: Iniuſta vis, & immanis crudelitas. Summe Rex, in quam velis partem mea dicta interpretari, liberum tibi eſt, neque meum eſſe duco tuis conſiliis modum ſtatuere. Verùm ſi non minore cum proprij tui boni ardore à te hæc perlecta, quàm à me perſcripta fuerint, tanquam æquus æſtimator, ſi quid fortè mihi hîc ſtomachoſius exciderit, præſertim contra te, id iracundiæ & iuſto dolori, qui me exſtimulant, quum tantam tibi & videam &

inuideam tamque atrocem iniuriam fieri, tribuendum putes. in quo quidem scelere dum conniues, vide ne hæc silens patientia pro consensu merito habeatur. Ne putes me hîc animi tui magnitudinem in discrimẽ vocare. vniuersa Europa me tum fingentem refelleret, tu si testimoniis indigeres, nos testes citares locupletissimos quos tam sæpe debellaris: hoc mihi credas velim indignationem illam, qua pene dis-rumpor, dum tam indigna à pessimis monitoribus sufferres, portentosam eorum audaciam in quouis moliendo, tuâ solummodo tolerantiâ fretam, hæc vel inuito mihi expressisse, atque bilem, & stylum exacuisse. Illud me non fugit intra domesticos parietes tuos illud omne malum latere, quo hactenus non tam pertractus, quam distractus sis. Quæ verò à te contra teipsum gesta sunt, eo consilio facta fuerunt, vt consulentibus obtemperares. cui dum alij Principes contrariam viam insistere volunt, turpissimè hallucinantur. Ipsum me aliquando interfuisse memini, quũ nonnulli illi quidem boni viri tibi isthæc nimis odiosè occinerent omnes vrbes, populos, Prouincias duci Guisio se obstrinxisse, omnia tua illum posside-

re. dictum quidem hoc tibi est, sed ab ipsis dictum, qui ex eadem factione essent, atq; ita quidem dictum, vt te quasi prostituendo ad suas partes pellicerent. Ipsa vis & robur totius Guisianæ contra te manus, in tua aula alacres volitant, in arcanis consiliis tuis, in ipsis penetralibus hærent, vt minimè mirum sit sana tua & salutaria consilia rebus tam contrariis & repugnantibus interpellari. Sed quum Deus immortalis extremo hoc & nouo discrimine, in quod Guisius te præcipitauerat, liberãdo omnẽ cùm causandi, tùm dubitandi tibi ansam præsciderit. saltem hoc vt te melius ames, & deinceps, quàm ante hac, diligentiùs cures, permouere debet. vt commodis etiam tuis, tranquillitati & maiestati in posterũ prospicias, id quum desideres, eadem plane opera & regni tui incolumitatem procurabis.

In extremo loco te ponam calamitosi belli facem & furiam, qui ad tuam perniciem, & patriæ pestem præclaras illas virtutes soles cõuertere, quę propterea à Deo tibi inditæ sunt, vt vtriq; pro dignitate officiosè inseruias. An nullas parricidio tuo apud inferos paratas tædas ardentes esse putas? qui tuam parentem, nefarie Nero, euisce-

euiſceraſti?ob tam nefãda tua ſcelera,quorum vel ipſe actor,vel aliis author extitiſti? idq; aduerſus eam,à qua tam infinita beneficia acceperis: Tanta mala (inquam) quibus mederi poteras,vel minus appetendo, vel modeſtiùs ambiendo,vel tam inſanam illam libidinem aliquibus ſaltem cancellis & finibus circumſcribendo.Immò verò tua ipſius infanda deſignata reſpue,hi tibi carceres, hæ cruces, hæc ſupplicia. Quod quiſq; fecit patitur, ſuoq; premitur exemplo nocens. repetit ſceleris authorem ſcelus.hîc vide Gehennam tuam Guiſie, omnium hominum miſerrime. Quadraginta iam penè annos numeras, nec adhuc tamẽ vel regij nomen arrogare tibi audes:Quando tandem hoc effectum dabis? An verò tam facilè omnes tuos æmulos te perpellere poſſe confidis? qui in hac futili tua lętitia & ambitioſa occupatione efficient (hercle)vt ſinciput tibi doleat.Triginta annorum iacturam iam feciſti dum eos debellare voluiſti: ex hiſce decẽnium totum prętcindito,id tibi in lucrum deputato.reſtant viginti: Poſt viginti annorum decurſum ſpatium, iam tum ſexagenarius, qualis tandem nobis Rex futurus es? Sunt qui te audierunt Cardinalem Borbonium hoc

nomine facetè irridentem, cui tamen ipſe non multò antè perſuaſeras, vt ſeniũ ſuum ſolio & ſceptro oblectaret: ex illo veteri ſepulchro tuum regnũ fortaſsis eruere ſperaras. Et ſi aliquando hoc contigerit (quod Deus immortalis omen auertat) quàmplurima tamen tibi adhuc deſiderantur, q̃ optatis tuis reſpondeant. Tu cubito fortaſsis Regem Nauarrenum deturbare cogitas, vanam ſine dubio ſpem, inanem certè laborem, falſam deniq; & fruſtratã cùm tui ipſius, tum prolis tuæ expectationem. Quin tibi potiùs ab illo cauendum Guiſie ſi ſapias, cenſeo: Ex vnguibus leonẽ agnoſcito, qui illi indies creſcunt magis, tibi, vti ſpero breui reſecabuntur. ſed fingamus ſaltem te deturbaſſe. quũ hoc factum iam ſit, num tu propterea continuò regnas? Si poſt Regis Nauarreni fatalem occaſum, Gallia ſtatim prędę exponatur, ſecus enim fieri hoc nunquam poteſt: an tu plus potentiæ aut iuris plus quàm rex Hiſpaniæ habere tibi videris? plus quàm Sabaudiæ dux regi Galliarum ex filia nepos, tu ne illo propinquior, qui regiam neptem nouiſſimam in vxorem duxerit, tu proximior q̃ Lotharingiæ dux, qui in iſta petitione & ſenior & potior eſt, alius item ex filia regi nepos?

nepos? Econtra verò ſi regni ſtatus integer ſaluusq; permanſerit, qua ratione tandem ſaltē legitima Principib. Catholicis regio ſanguine prognatis iſtam prærogatiuā p̄ripere te poſſe putas? Qui cùm & numero multi, & ætate florētes ſint, non video cur tibi non meritò fiant poſthumi, niſi tuo tu ſcelere abortiuos feceris. Tum verò priuſquā hæc tela tota texitur, qs hac in re ſatis tibi ſtipulādo cauere poterit? regem q iam viuit tibi nō os obliturū probe? Illo ſuperſtite, tibi vota faciēda ſunt. In hac deſperata tua curatione, illi primò omniū vena incidenda eſt, ita peritū te, & medicum & medicæū oſtenderis: hic lapis tibi amouēdus eſt. Ille vnus plus q̄ mille Nauarreni luminibus tuis officit. huius lepidi & callidi cōmenti niſi tibi in mentē venerit, hem Thales Mileſie, te non emam teruntij, nam in ſeriis negotiis nimius nugator es. Etenim rege viuo à longe ſalutandum tibi regnū eſt, idem etiam & durante hoc bello ciuili, ſi modò id pergis facere, quod iam facis. At tu homo ſcilicet modeſtus, nihil minus quàm regna cogitas, & quorſum igitur iſta omnia hominis flagitium? Niſi hoc ſit q̄ te furiis exagitet, niſi inexplebilis quędam & veſana regnandi libido te exſtimulauerit

quali olim Marius, Sylla, Cęsar perciti sint? Te diris deuoueant oportet posteriorum secula, quòd cęlum & terram ita miscueris, nullius rei gratia, nisi vt vna cũ Xerxe quasi mel ex Hymetto peteres. Pestis teterrima societatis humanę, honoris contentio, quę tamẽ quos posśidet, tanta corona pulcherrimarum virtutum stipatos plerunq; reddit, vt eos dum reprehendimus, admiremur tamen. si elatus tantùm & excelsus animus ad regnandum te pertraxit, ita dixerit aliquis fortè è posteris nostris, grauiter medius fidius hanc in partem pecasse naturam, quòd regem te non procreârit, quum, vt rex fieres, ipse in te tam audacter hoc susciperes. Neq; forsan harum calamitatum tantæ stragis, quæ à te priusquã regnum adipisci queas, edẽda necessariò est, in te faba vlla cudetur: verùm ita potius loquetur posteritas, fata tibi aduentum tuũ insigniore nota consignare voluisse, te nimis magnum futurum, vt per vsitatã portam prodeundum tibi nõ sit. terra non capit Herculem, nec vnus orbis Alexandrũ: summa quęq; demolienda fuerunt, vt Nostro Ioui sat loci esse posśit. Nec aliã ventu ro fata Neroni inuenere viam; atq; ita quidem multorũ sentẽtiis reus sisteris. Sed ita

tamen

tamen vt plurimi ſeſe tui quàm ſimilimos exoptarent. vel econtra dum remiſsiùs ſceleratus eſſe vis, producendo noſtra mala aggrauas, eos imitatus qui res temerè tractant turbidas, pergis turbare porrò, vt ne quid poſsit conquieſcere: ita hoc bonũ quietis & trãquillitatis nobis inuides. Mala interim multa ingeris, & animo obſecũdabis tuo. Quid interim de te poſteri noſtri prædicabunt? Contrà quã de illo apud Homerum τίς δ᾽ ἐπιγόνων, & quæ ſequuntur. quis eorum vnquam de tuis rebus geſtis fando audierit, qui te non Lorarium huius ſeculi verè appellarit? ſed quoniam rex eſſe non poſsis, (vt es moderatus) ne deſideras quidem; & quũ id, quod velis, non poſſis, prudenter quidem vis, quod poſsis. id ſat tibi eſſe putas, vt rerum ſtatum perturbes & diuellas: ea gratia vt ſaltem in diuiſione meliorem tu partem ſumas, in quo adhuc etiam miſeriorem te oſtendis. An non ſat virtutũ à Deo accepiſti quibus ampliſsima ab eo cõmereri poteris, quiq; ſuo iure ea tibi dabit? quî hoc ſuo bono rex nõ mediocriter lętaretur, quod te ſemper pręſentem haberet, idque parentis loco, quo illi es, & pro bono & fideli ſeruo, qualis illi eſſe & potuiſſes & debuiſſes? Nonne

tibi satius esse ducis regi, proprio debita obsequia tua præstare ad patriam seruandam, quàm extero principi mancipio esse, ad eandem euertendam? Etiam atq; etiam, quid feceris vide. Et pater tuus & auus paternus in Italia regis Hispaniæ partes propugnarunt, & tu eorum exemplo idem in Galliis efficere vis. Siccine patrissas? sed neq; adhuc in eo sunt omnia. Quid igitur? Id profectò est: Religionis Catholicæ ardore tibi pectus flagrat. scio te hoc in concione & conuentu strenuè proloqui, in priuatis cubiculis multò secus. Et tamen adhuc verendum est, nisi citius Palinodiam canere didiceris, ne valde te tui pœniteat, quòd Parisiis regem tuum confidenter satis eieceris. Quid num ille etiam Hæreticus est? Non. At rex est, quicunq; vel re, vel spe sit, hoc vnum scito, tibi inimicus est. Sed tandem tanquam sorex te tuo iudicio prodis, & facile ostendis, eãdem plane causam esse cur regi Nauarreno tam malè cupias. Te videlicet illi suam magis inuidere hæreditariam spem, quã Euangelicam fidem: neq; dubito, quin si ille pateretur te fore regem, tu illi facile permitteres esse Hugonotum. Summe Deus: Hæccine tua ardens religio est? At quorsum tandem, vt eam augeas? At

cum

cùm multa etiam adhuc Turcæ & Sarraceni existunt qui Hierosolymitanum regnũ detinent, tibi & tuæ familiæ hæreditariũ, quin tuos neruos multò potiùs contra illos, quàm aduersus Galliam patriam tuam intendas? An verò vt religionem tuam defendas, ita vehemens es? At quis est qui oppugnat? num quis tam audax vt litem aliquã Catholico intentare velit? hæc ergo mea sentẽtia est, te nobis persuadere velle, lupos sibi iam ab agnis metuere, à ceruis leones. mira naturæ mutatio. & tñ tu hoc idem dicis. pro singulis in Gallia Euangelicis centũ numerãtur Catholici. Si rex Nauarrenus viuo iam rege Catholicos persequi sibi in animũ induxerit, irritabit forsan crabrones, qui vlciscẽtur probè, si post mortẽ regis, malã (me hercule) inibit gratiã. At longè aliter se res habet, neq; illa ꝓ te afferre deberes: leuia hæc sunt, ludos nos facis. Quin dicas (sodes) id ꝙ res est, idq́; apertè, vt omnes te audiãt, te solum regnare velle, te regẽ fieri, nihil aliud desiderare. atq; hîc videmus viuis & veris suis coloribus tua depicta insignia. Sed ad finem iam ꝓperat oratio, rẽ concludã nec amplius adiungã, nisi vnũ aut alterũ verbulũ de literis illis quas euulgari curasti. Primũ hoc

profiteris, idque publicè, te solum eum esse qui instituere expeditionem illam Aquitanicam contra regem Nauarrenum, in quem tu tam mirificè eras affectus. Sed cur tandem alteri munus hoc delegasti? ac nō potiùs tu ipse illud subibas? Primùm illud quasi præconis voci subiicis: te Aquitanicæ expeditionis authorem & procuratorem fuisse, dein contra regem Nauarrenū quem tam deperire vis, vt perire eum maximè cupias. Verùm quid opus erat, vt aliis hoc munus demandares? cur non ipse potius subiisti? Tibi ducis Ioieusij exemplo aut certa victoria petenda, aut gloriosa mors tibi oppetēda fuit. Quin tu regi iam tuæ personæ industriam offeras; primo verbo conditionem acciperet. Eò clientelas tuas & copias traducas. rex hisce aliquid adiunget ex suis. Ibi bellorum faces, ibi dignos virtute tua hostes inueneris. Quorsum in Picardiam tuas flammas accendis. Num & ibi hæretici sunt? Deus immortalis si illud largitus nobis esset, vt Caletum & Bolonia regi Nauarreno tam essent obnoxiæ, quàm tu insimulas, ne Lutetiam ita perturbasses, tempestiuè tibi prospexisset. Sat iam tibi otij fuisset, vt te inter Chaallonica tua claustra & repagula, tanquam firmo

mo septo compingeres, neq; de alia re magis sollicitè, quàm de defensione tua cogitares. Verum astutias quæso hominis videte. Tu id agebas, vt rex fiduciariã tutelam regni Galliȩ, tibi ouem lupo committeret, ipse autem in Aquitaniam in militiam proficisceretur, tuæ solius causæ vindex, ad euertendum regem Nauarrenum inimicum tuum, ad res tuas ibi stabiliendas. eò nimirum, vt dum ille de vno taguriolo obsidendo sollicitus esset, tu interim domi munitã aliquam vrbem caperes. Et hac insuper lege & conditione; vt reuersus iam omnia tibi concederet, & quousque & quoties tibi ipsi visum fuerit. Ædepol dux haud stultȩ sapis: ipse Apollo nunquã rectiùs tibi consulere potuisset: haud satis tamen inescare homines nosti Sanio, & ille magis prouidus tibi hac in parte auscultare noluit. Addis præterea ducem Espernonium Hæreticos ꝓpugnare. Quidni igitur omnes mortales quotquot sint, qui te regẽ esse nolunt te iudice vel Hæreticos, vel hæreticorum patronos esse necesse sit. Id si ita sit, satis magnam breui copiam hæreticorum haberemus. Hoc interim tu instar oraculi certum ratumq; habeto, si vel minimum clandestini aut consilij aut colloquij illi cum rege

intercesſiſſet, ſi vel munitiſsimam vrbem earum quas ſibi ſubiectas tenuit illi in manus tradidiſſet, ſi vel tantillũ pecuniis ſuis reliquisq́; ſubſidiis, quibus ille tum abundabat, regi Nauarreno opem tuliſſet, nihil vel gurguſtioli cuiuſdã in Galliis tibi iam relictum foret in quibus te occultares. Res Guiſianæ planiſsimè ad reſtim rediiſſent; tu & totus & funditus iam pridẽ interiiſſes. Huic igitur de ſalute tua gratias agito, cuius ſincera fides & ſemetipſum, & regem ſuum & magnis & præſentibus affecit incommodis. Sed ille, inquis, in Picardiam & Normaniam lites captatum iamdudum abiit: quam tu (quæſo) tãdem particulam in illis duabus regionibus obtines? Quarum vni piæ memoriæ defunctus Alenconius prȩfuit, cui abſenti rex ſuos ſubſtitutos ſurrogauit. Alteram dux Ioieuſius eodem plane modo tenuit, neq; tu, neq; maiores tui quicquã hîc iuris obtinuiſtis. Sed & ad hȩc facilis eſt reſpõſio. Nam cùm regnare velis tibi quicquid libeat & liceat etiam neceſſe eſt. Proximè ſequitur querela tua eaq́; grauis de nõnullorum hominum rumuſculis contra te tuamq́; exiſtimationem diſſeminatis. Quos tamen (diis gratia) his tuis rebus geſtis poſtremis præclarè refutaſti. O

Atticum

Atticum planè oratorem. quod nisi ita esset, nūquam ista tam pulchrè perpurgasses. Incusâre te homines nimis illi quidem maleuoli quod in nonnullis huius imperij ciuitatibus tu tanquam turbulentus tribunus seditiosè populum contra magistratus suos à rege datos concitaris. Tu quàm leui brachio ista repulisti tum, cùm Parisienses aduersus ipsum regem suum irritaueris; in ficto maledicto tam parū est roboris aut firmitatis; tum reprehēdunt te, quod in Prouinciis tuis de Chaallons, Reius, & Seissons, reliquisq; locis, vbicunq; tu vel vnum pedem posueris, regia vectigalia sis depeculatus: Quæ cōmodior ratio istam infamiæ labeculam eluendi quàm (id quod tu feceris) in regia ciuitate ad regium ęrarium cuniculos agere. Leuis deniq; suspicio est te nescio quid aduersus regem & regnum machinari & moliri, tyrannidem affectare, in hunc finem te cum tuis coniuratis, quibus rex pręter quā decuit parere voluit, opulentas & munitas aliquas ciuitates occupasse.

At vero istos fumusculos vnus ille tuus Lutetiā aduent' quasi vētus dispulit, quū & illos tuo imperio subiugaueris, regē expuleris, satellites q ad corporis custodiā essēt vi coegeris, armis denudaris, vulneraris,

trucidaris, vniuersam deniq; multitudinē contra regem & armaueris & animaueris. Hoc pacto pulchrè tu quidem latrocinium sacrilegio, homicidium parricidio, delictū atroci scelere vis diluere: quid aliud hoc est quā cum ratione insanire? sed in eo triumphare visus es, quòd octo tantum viris nobilioribus comitatus Parisios ingredi ausus sis, manifestum innocentiæ tuæ indicium. O Hercules quàm mira narras, quàm nos audimus inaudita? Quin Rupellas te conferas cum noua tua turba aulica omni clientela & vniuersis prę̨sidiis tuis, nisi discessio tua fugæ quàm simillima sit, extemplò tergum tibi fiet corium bubulum. In inferiore Británia facile hoc est dicere, verùm quibus isthuc cognitum & perspectū est, totum regis consilium pro te facere, reginam matrem tibi fauere, nullum non seditiosum aut turbulentū hominem, nullum non baiulum aut calonem, totam deniq; plebem à tuo nutu pendere, illi palam præ se ferent & profitebuntur, simplicitatē hanc tuam nimiā fuisse astutiam, innocentiam plus quàm suspectam perfidiam. Quî hoc tibi persuadere potuisti, vt nos crederemus, te tam remissè & oscitanter te velle regi credere, qui post consceleratam illam
socie-

ſocietatem initam, cum in conſilio illo ve-
ſtro ad ſanctum Morum, altero quaſi Tri-
dentino, peſtilentiſsima ſcita fœdiſsimi fœ
deris, ad ſumma ſua capita nimis capitalia
reuocaretis, tu nunquam accedere auſus es
niſi æquali cum rege ſtipatus ſatellitio, qui
tam diu quàm ille in acie & militari taber-
naculo contra Germanos equites verſare-
tur, tu ne è limine pedem extuliſti, niſi ſe-
mel tantùm illo capto, tumq; per vnius ho
rulæ quadrãtem emanſiſti. immò verò hoc
tuæ potius ſollertiæ eſt, Guiſie, iſtiuſmodi
facinora patrare, quã perpatrata defendere
veriſsimile id quidem videtur, quoniam
de eo tibi gloriari viſum eſt, tuæ hoc pote-
ſtatis fuiſſe, regem vel inuitum & reluctan
tem quaſi captiuum detinere. Hem! quid
ex te audio alienigena? Regem Galliæ te
poſſe vel repugnantem detinere, id quod
tota Europa coniunctis viribus vix poſſet
efficere? Ipſi Imperatori ſemper Auguſto
heroica animi magnitudine prædito hic
labor, hoc opus foret. Si auus tuus patern⁹
hoc præſagire potuiſſet, nepotem tam ne-
fanda verba vnquam prolaturum, ſtrangu-
laſſet proculdubio patrẽ tuum potius quã
tam infœlicem prolem procreaſſet. In im-
perio pacato regnoq; trãquillo hoc vnum

verbuli te capite tuo mulctaſſet: atq; hanc etiam aliam cauſam videmus, cur omnia tu perturbes vnus. In reliqua parte literarũ tuarum tuo ſaltem iudicio voces ita dilucidæ ſunt tamq; compoſitę, arte pauimenti quod ille dixit, vt difficilimum ſit cõtradicere. In illo loco de fortitudine tua prædicanda admodum copioſus es, quæ tam manifeſtè tua demonſtrant conſilia, vt neſciam quid amplius deſideremus. Extremũ tantùm mihi arripiam, in quo fateris te Baſtilliam arcem Pariſiis munitiſsimam, & armamentarium ipſum inuaſiſſe, aliaq; loca publica, tum ipſas arculas in quibus regis reditus annui & cætera vectigalia reponebantur. ſed eo tamẽ hæc omnia conſilio vt tandem in manus ſuæ Regiæ maieſtatis pacatæ iam & ſedatæ omnia reſtituas; talia videlicet qualia Põtifex Romanus & Principes Chriſtiani intercedentes aſsignauerint. Id ſi minus fiat, ſaltem tuis ſubſidiis Catholicos nexu quaſi & mancipio ſoluere tentabis, & de eorum ſeruitute vindicare, qui ad regium latus hęreticis patrocinantur. O noſter Zeno, quàm neruosè cornuta & aculeata tua contorques dilemmata? niſi fallor hoc verbum pacatum ita intelligis, non quietum aut ſedatum, cuius

iam

iam deferbuit iracundia, ſed in ea potius conditione conſtitutum, vt quaſi manibus à tergo reuinctis ne cum muſca quidẽ iam belligerare poſsit. Eò vero illum loci per Hiſpanicas & Italicas copias te redacturũ confidis, hæc illa eſt, quam dicis interceſſio, & tandem vt breui omnia complectar, tu è multis vnus & miſer, & imbellis ſubditus, ſeruusq; regi tuo bellum denuncias. E vobis coniuratis alij ſunt qui hoc leuiter ferunt, alij etiam qui rem ſeriò aggrediuntur. Si auguſtiſsimæ memoriæ defunctus imperator tantillum verbuli huius patri dixiſſet, totus orbis Chriſtianorum in duas partes diuis' mutuis inter ſeſe armis congreſsi fuiſſent, hoc vnico verbulo incitati. Deus modò immortalis pro ſua infinita miſericordia huic Regi noſtro ſaniorem mentem largiatur. Tu Guiſie, quam aliis iam diu machinatus ſis, paratam tibi peſtem putes, vt participes parem.




FINIS.

